PROGRAMM

des

Gymnasiums zum heiligen Kreuz in Dresden

womit

zur Entlassung der mit Reifezeugnis Abgehenden

am 22. März 1895 vormittags 10 Uhr

und zu den öffentlichen Klassenprüfungen

am 3. und 4. April 1895

im Namen des Lehrerkollegiums

ergebenst einladet

Rektor Prof. Dr. Heinrich Stürenburg

Ritter des Eisernen Kreuzes II Kl.
Ritter des Sachsen-Ernestinischen Hausordens II. Kl. m. Schwertern.

Erste Abteilung:

De Pomponii Melae sermone, vom Oberlehrer **Heinrich Zimmermann.**

Zweite Abteilung:

Schulnachrichten, vom Rektor.

Dresden,
Lehmannsche Buchdruckerei.
1895.

1895. Progr. Nr. 545.

De Pomponii Melae sermone

scripsit

Henricus Zimmermann.

Tres libros illos, qui exstant de chorographia sive de situ orbis, a Pomponio Mela nescio an imperatore Caligula [1]) compositos si quis diligenter iusteque aestimare atque aliis eius generis libris ponderare molitur, illud imprimis ei cogitandum est Melam inter omnes scriptores Latinos primum confecisse descriptionem orbis terrarum tunc parum explorati. Etsi enim eum auctorem in rebus geographicis saepius deprehendimus a vero aberrantem[2]), nihilo tamen setius eius libri sunt magna auctoritate magnique aestimandi, quod primam et antiquissimam orbis veteribus noti descriptionem exhibent ideoque geographiae Romanae fontem praecipuum. Minime igitur facimus cum paucitate eorum, qui Melae libros despiciunt vel leviores arbitrantur quam ut qui examinentur et pertractentur sint digni[3]). Neque illa solum, quae pertinent ad terrarum descriptionem, qua par est observantia spectanda sunt, sed etiam pariter respiciendum esse existimo Melae genus dicendi ad geographiam Latinam quasi inventum, cui rei ante hos dies nullum fere fuisse respectum nemo est quin miretur. Itaque ut res quasdam grammaticas sermonem Pomponianum illustrantes, quantum poterimus, explanemus, hoc libello annuo nobis proposuimus. Sed antea monendum esse videtur illam chorographiam tantae obnoxiam fuisse depravationi, ut multae operae multique sit sudoris lectiones germanas librorum veterum restituere. Cum enim ipsum archetypum multis corruptelis infectum[4]) fuisse tum reliquis omnibus, qui multi ad nostram aetatem pervenerunt, codicibus librisque a librariis et editoribus permultas singulorum verborum deformitates confusionesque esse invectas iampridem inter viros doctos constat. Itaque non defuerunt qui Melae sanando summam navarent operam[5]). Ac Bursian quidem codicibus accuratissime inter se comparatis omnium optimum esse maximeque vetustate commendatum codicem Vaticanum 4929 saec. X, unde cum ceteri omnes manaverint, quodvis studium corrigendi proficiscatur necesse sit, penitus perspexit et plane probavit[6]). Secundum hunc virum imprimis laudandi mihi videntur Gustavus Parthey et Carolus Frick editores recentissimi[7]), quibus meritam debitamque referre debemus gratiam, quod eorum potissimum opera contextum nunc habemus satis bene conformatum. Sed quamvis multis nostra chorographia vitiis diu contaminata fuerit neque quin etiamnunc lima indigeat extrema dubitandum sit, omnes tamen fere viri docti, qui attentum ad eius lectionem animum attulerunt, Melae orationem brevitate, qua amplissima rerum copia concludatur, praeditam, arte rhetorica conditam, insigni ac suavi verborum varietate ornatam, magna perspicuitate elegantiaque instructam esse consentiunt. Quam sententiam ut argumentis confirmem, breviter redintegrare liceat, quid priores editores de ea re censuerint[8]). Velut Andreas Schott appellat

[1]) Cfr. Carol. Frick in Philol. XXXV p. 741. Dissentit Bursian in Jahn. annal. XCIX p. 630.

[2]) Huius rei exempla inveniuntur in praef. ed. Henr. Tzschucke (Lips. 1807.) vol. I. p. XIX sqq.

[3]) Nostra etiam aetate vir doctus K. v. Morawski (Wiener Studien. IV p. 166) Melae chorographiam eiusque sermonem nullius esse momenti contendit argumentis gravibus non allatis.

[4]) Cfr. Carol. Frick, in ed. Pomp. Melae (Lips. 1880.) praef. p. XI.

[5]) Henr. Tzschucke in edit. suae praef. recenset centum quattuor editiones.

[6]) Bursian l. l. p. 629; Adolphi Michaelis de Melae codicibus Vaticanis dissertatio in Gustavi Parthey edit. praef. p. X sqq.

[7]) Gust. Parthey. Pomp. Mel. ed. Berol. 1867; Car. Frick. Pomp. Mel. ed. Lips. 1880.

[8]) Quanti veteres Melae sermonem fecerint. ignotum est; cfr. Tzschucke. l. l. praef p. XXXII.

Pomponium Melam antiquissimum et elegantissimum geographum dicitque in editionis suae praefatione: „Stylo eius nihil in hoc genere aut brevius aut purius aut clarius. Equidem in ea sum haeresi, ut ne Ciceronem quidem, si Geographica, quae scribenda susceperat (lib. II ad Attic.), absolvisset, elegantius scripturum fuisse putem“ [1]). Neque aliter senserunt Js. Voss, qui ad libr. I 70[2]) annotavit neminem Latinorum accuratius de chorographia scripsisse, et Henr. Stephanus (in prolegg. in Pomp. Mel.), qui sermonis brevitatem et proprietatem in primis commendavit[3]), et Jac. Gronov, qui verba fecit haec: „neque potuit tempore Claudii Caesaris elegantior terrarum descriptio in tam breve pugillar contrahi, immo nec exspectari, quam composuit ille ipse scriptor“[4]). Omnium denique priorum editorum in Melae libro perpoliendo et explicando maxime elaboravit ac desudavit Car. Henr. Tzschucke, qui Melae genus dicendi cum multis locis merito collaudat tum dissertationem de virtutibus formae eius orationis editioni suae praemittit[5]). Quodsi iam illi viri docti stilum Pomponianum tantis extulerunt laudibus, ut eum adaequare paene Ciceronianum arbitrarentur, quamvis illos libros haberent multis corruptelis mendisque inquinatos, quidni nos eodem auctore gaudeamus, praesertim qui egregias illas editiones recentium editorum supra allatorum habeamus, quae, quoad eius fieri potuit, sunt purgatae?[6]). Quae cum ita sint, nonne mirandum est, quod nostris temporibus nemo exstitit, qui Melae dictionem exactissimo examinaret iudicio atque eius artem grammaticam discerperet usuque aliorum scriptorum metiretur? Priores enim editores, qui quaestiones quasdam de eius elocutione attigerunt vel exposuerunt, non habebant adminicula tanti momenti in promptu, quanti nos habemus, dico illos de rebus grammaticis libros a viris doctis, ut Neue, Kühnast, Draeger, Krebs-Allgayer, Kühner[7]) aliisque confectos; unde sequitur, ut quae Tzschucke aliique de Melae orationis forma attulerunt, nostris temporibus parum respondeant eius exspectationi, qui de eadem re sit cogniturus. Huc accedit, quod in pristinis chorographiae editionibus verba continentur, quae ab auctore aliena iure nunc reiecta et sublata sunt, ut amflexus[8]), archium[9]), capulari[10]), habitator[11]), retroagere[12]), transiugare[13]) eiusque generis alia. Itaque cum index verborum, qualem editioni C. Henrici Tzschucke habemus adiunctum, neque certus neque perfectus sit, qui quaestionem de Melae sermone habiturus sum, mihi ante omnia id erat agendum, ut indicem omnium verborum denuo conficerem editione Caroli Frick pro fundamento posita. Viros enim illos doctos, ut Neue, Draeger, alios in libris grammaticis lexicisque nostri geographi rarissime mentionem fecisse rationemque duxisse, nulla alia causa neque explicari neque excusari posse videtur nisi quod et editiones recentiores illo indice novo carent et Melae ars grammatica nostra aetate a nullo accuratius est pertractata. Quanti autem sit dicendi genus nostri quoque auctoris cognosci, praesertim cum his temporibus historica quam vocant grammatica coepta sit condi, non est cur pluribus verbis explanemus. Quod igitur multae res grammaticae ex scriptore nostro prodeunt, quae non modo in illis libris recentibus, sed etiam in lexicis desiderantur, viris doctis eisque grammaticis magno fore confidimus adiumento, si quae maxime notanda videbuntur, protulerimus, etsi multa sane relinquentur, quae propter huius commentarioli angustias respici non potuerunt. Qua in re exponenda hanc viam ingrediemur, ut ea potissimum recenseamus, quae ab usu optimorum prosae orationis scriptorum abhorrentia aut Melae propria aut communia sunt vel cum poetis veteribus vel cum eius aequalibus. Ne autem in hac materia tam ampla tamque difficili plura confundamus neve fines huic libello circumscriptos egrediamur, de nominibus, verbis, particulis ita agemus, ut quae ad eam disciplinae grammaticae partem, quae vocatur syntaxis, pertinent et a Mela paulo insolentius vel audacius dicta esse videntur, qua par est diligentia expromantur. Ac si quis

[1]) Cfr. Abrah. Gronov. Pomp. Mel. edit. altera (Lugd. Bat. 1748) p. 1056.

[2]) Ad eundem locum F. Kapp (Hoff 1774) Melam in Cilicia fuisse ipsumque perlustrasse nulla alia de causa conicit, quam quod neminem nisi qui suis oculis viderit, tam scite apteque describere posse putat.

[3]) Cfr. Abr. Gronov l. l. p. 1047.

[4]) A. Gronov l. l. p. 1065.

[5]) Vide praef. p. XXXIV sqq.

[6]) Parthey etiam nostrum auctorem in ed. praef. p. VIII hac laude impertit: „Commendatur Melae liber perspicuitate, concinnitate, ubertate“.

[7]) F. Neue, Formenlehre der lat. Sprache². Berl. 1875 u. 1877. L. Kühnast, Hauptpunkte der Livian. Syntax². Berl. 1872. A. Draeger, Historische Syntax. I. u. II. T. Leipzig 1874. Krebs-Allgayer, Antibarbarus der lat. Sprache⁵. Frankt. a. M. 1876. R. Kühner, Ausführl. Grammat. der lat. Sprache, Hannover 1877 u. 1878.

[8]) pro „adflexus“ III 16.

[9]) archio bustis pro „arae bustis“ III 84.

[10]) pro „captare“ II 83.

[11]) pro „habitant“ I 83.

[12]) pro „retro agere“ III 1.

[13]) pro „transnavigare“ II 32.

non omnia, quae ad rem propositam quadrent, me comprehendisse aut in aliis, quae ut satis nota nimisque trita mihi praetermittenda fuerint, longiorem et prolixiorem, quam res postularet, fuisse contendat, facilem mihi fore credo excusationem. Uniuscuiusque enim verborum ordinis exempla suo loco fere omnia in lucem proferre cogar, quod ante hos dies, quantum quidem scio, ea a nullo congesta sunt, et quamvis mihi persuasum sit quasdam res in nostra chorographia occurrentes aliorum quoque scriptorum optimorum proprias esse, tamen non omittendas putavi, quod ad totum Melae dicendi genus intelligendum commemoratione dignae videntur et subsidium quoddam efficiunt [1]). Quibus praemissis iam ad propositum ita transgredi liceat, ut deinceps de usu substantivorum, adiectivorum, pronominum, adverbiorum, praepositionum, verborum, quid mihi videatur exponam.

I. De substantivis.

Ac primum quidem ea substantiva abstracta et concreta, quae numero plurali pro singulari ponuntur, digna esse mihi videntur, quae quam plurima proferantur, cum ea et a nullo, ut iam diximus, congesta sint et in tantis Melae fuerint deliciis [2]), ut complurium eius generis substantivorum singularem numerum omnino spreverit. Atque eorum substantivorum ex ordine litterarum haec affero:

accessus III 1: (pelagus) neque alternis accessibus versum.
„ III 21: (Garunna) oceani accessibus adauctus est.
„ III 55: ob alternos accessus pelagi. (Hoc plurali utitur etiam Cic. nat. d. 2, 7, 19.) [3]) Singularem huius vocis legimus II 66, 79.
aequora I 9: (Asia) nostris aequoribus excipitur.
„ III 45: ex Indicis aequoribus. (poetae [4]); Cic. div. 1, 42, 93 camporum-aequora). Singul. apud M. est III 3.
aestus (Sonnenglut) I 11: quod aestus inhabitabilem (sc. oram) efficiunt.
„ „ I 53: solutae magnis aestibus nives.
„ „ I 99: aestus solemque fugerunt.
„ „ I 115: aestus hiememque iuxta ferens.
„ „ III 71: regio ob aestus intolerabilis. (Similiter Lucr. 1, 301, poet., Suet. Aug. 8, 81, Tac. h. 2, 32 [5]), Lact. 7, 16, 6.). Aliter se habet III 1: pelagus aestibus concitum, ubi aestus significat „Brandung". Singularis est I 4.
aetates I 59: supra tredecim milium annorum aetates. (Cic. Brut. 19, 74 aliasque. Singularem bis (I 114, II 32) invenimus.
amores II 112: Pasiphaae et Ariadnae amoribus. (Cic. Att. 6, 1 aliasque.) Singul. est I 97, II 26.
aquae (Wassermassen, Gewässer) I 52: (Nilus) eam irrigat efficacibus aquis; similiter his locis:
„ II 7, 30, 63, 81, 82, 86, III 21, 22, 31, 40, 47. (poet., Cic. nat. 2, 10).
avenae (Hafer) III 56; qui-avenis alantur. (poet.). Aliter est III 91: bibere avenis (Halmen).
caedes II 12: bella caedesque amant, quo loco pluralis etiam concinnitate effectus videtur.
„ III 18: ab ultimis caedibus temperant. (Cic. Mil. 27, 73; 32, 87)). Singul. est II 12
commercia II 10: Sartae commercia exercent. (Sall. Iug. 18, 6. Plin. 28, 1, 7 saepiusque). Singularem legimus I 68, 97, 102, III 60.
congressus I 47: (Gamphasantes) congressus patiuntur. (Cic. or. 10, 33, amic. 23, 87.)

[1]) Eandem rationem probavit Frahnert „Zum Sprachgebrauch des Properz" Halle 1874, p. 1: „Nicht blofs das Ungewöhnliche, was uns in der Diktion eines Schriftstellers entgegentritt, sollte meiner Ansicht nach bei derlei Sammlungen Beachtung finden, sondern auch solche syntaktische Erscheinungen, die immer und immer wiederkehren, scheinen mir gleicher Berücksichtigung wert zu sein, damit je mehr und mehr zur Klarheit kommt, in welchem Umfange der Sprachschatz von den einzelnen Autoren überhaupt benutzt wurde, und wie lange dies und jenes brauchte, um gewissermafsen Bürgerrecht zu erlangen, wobei sich zugleich zeigen wird, wie lange auch gewisse Formen und Wendungen sich behauptet haben, ehe sie von anderen verdrängt wurden.

[2]) Ciceronem iam plurali substantivorum imprimis abstractorum multo magis delectatum esse quam alios auctores, ut Caesarem. Auctorem ad Herenn., Varronem Sallustiumque docet Draeger h. S. I p. 11.

[3]) Si quae verba Cicero eodem modo adhibuit, quo Mela, alios auctores raro testes citavi.

[4]) Poetae hic intelleguntur aureae q. d. aetatis

[5]) Cfr. Draeger, Syntax u. Stil des Tacitus (Leipz. 1882) p. 1.

cursus I 59: quater suos cursus vertisse sidera. (Cic. Marc. 2, 5; imp. Cn. Pomp. 12, 34.) Omnibus aliis locis singularis est: I 24, 53, II 5, 44, 79, 104, 108, 115, III 42, 43, 59.
frigora I 11: unde (Scythae) frigoribus arceantur.
„ II 16: frigora cultores arcuere.
„ III 44: tellus infesta frigoribus. (Lucr. 1, 300, Cic. off. 2, 4, 13, Caes. b. g. 1, 16, Liv. 21, 58; 22, 1; 40, 22, 45, poet.) Singul. invenitur I 4, III 17, 26.
diluvia I 52: ubi (sc. Nilus) diluvia sedavit. Hoc plurali Mela solus usus est Singul. est I 64.
frondes II 16: obiectu frondium.
„ III 62: ut mella frondibus defluant.
„ III 88: folia proximis decisa frondibus. (Cic. Cael. 18, 42, Quinct. 2, 4, 11. Horat.)
frumenta II 125: (Ebusos) frumentis non fecunda.
„ III 47: cum semel sata frumenta sint. (Cato ap. Gell. 13, 17, 1. Caes. b. g. 1, 16, 40. Liv. 22, 32 saepiusque.) Singularis est III 17.
harenae I 21: harenis sterilibus obducta (sc. Africa).
„ I 39: harenas quasi maria agens.
„ I 53: harenis ostia obducunt.
„ III 100: harenis obducta.
„ III 101: in harenis mons Atlas. (poet, Plin., alii.)
hiemes III 36: Asiae confinia, ubi perpetuae hiemes sedent. (poet., Caes. b. g. 4, 20, Val. Flacc. 6, 335.) Omnibus aliis locis singularem videmus: I 53, 54, 115, II 10, III 26, 57.
ignes I 80: Lycia olim infestata Chimaerae ignibus.
„ II 15: ut qui habitant — ignes alant.
„ II 21: super ignes, quos circumsident.
„ II 119: (Aetna) adsiduis ignibus flagrat (sed II 120: Aetna perpetuo flagrat igne).
„ III 65: ingerendo semet ignibus.
„ III 94: mons — perpetuis ignibus flagrat. (poet., Cic. nat. d. 3, 10; r. p. 6, 15). Singularis quater legitur: I 58, II 43, 120, III 92.
imbres I 49: terra expers imbrium
„ II 31: unde imbres cadunt.
„ II 81: cum (Atax) hibernis intumuit imbribus.
„ III 106: solent imbres spargi. (Lucr. 6, 107, Cic. ad Att. 13, 16, 1. poet.) Singularis est I 53, II 78, III 21.
ingenia I 86: aliorum civium ingeniis inclutam (sc. Miletum).
„ II 9: ingenia cultusque gentium differunt.
„ III 48: Gallizenas singularibus ingeniis (Eigenschaften) praeditas. (Liv. 10, 22, Plin. ep. 6, 21, 1, Sen. ad Helv. 6, Col. 8, 15, 7, Suet. Aug. 49, Tac. agr. 24, Just., aliique). Ceteris locis singularis legitur: I 1, 37, 47, 72, 102, III 33, 102.
iurgia III 37: novere non iurgia. (poet., Liv. 42, 22, 5[1]), Suet. Galb. 5, Just. 10, 2, 5). Haec vox apud M. semel occurrit.
lanae III 62: ut lanas silvae ferant.
„ III 63: vestiuntur aut lanis. (Ov., Suet., Quint., Plin., Col., Jul. Firm.)
ligna II 15: qui habitant lignorum egentes. (Cic. in Verr. 1, 17, 45; 27, 69.). Singularis est I 41.
meatus III 2: an luna causas tantis meatibus (sc. maris) praebeat. (Pluralis etiam invenitur de cursu siderum ap. Lucr. 1. 128; 5, 76, Sen. ad. Marc. 25, 2 aliasque.). Singul. deest.
mella III 62: mella frondibus defluant. (poet., Plin.). Singul. deest.
mentes I 72: ut mentes accedentium consternat. (Cic. in Verr. 5, 10 aliasque). Sing. deest.
mercedes I 83: bella mercedibus agerent, quo sensu Mela plurali solus usus esse videtur; nam apud Cic., Caes., Suet. pluralis significat „Zins, Einkünfte". Singularis legitur II 21.
munditiae I 41: victus munditiis carens. (Plaut. Pseud. 1, 2, 40, Sall. Iug. 67, Tac. ann. 3, 30.) Haec vox semel occurrit.

[1]) Cfr. Kühnast, Hauptpunkte der Livian. Syntax², p. 65.

nives I 53: nives solutae, II 1: nives cadentes, II 21: solutis nivibus, III 59: ob nives invia (sc. ora), id quod nos dicimus „Schneemassen". (poet., Liv. 5, 2, Lact. 3, 24, 1.)

operae I 65: Phoenices litteras et litterarum operas — commenti; vocem „operas" hoc loco intellego sensu concreto ut opera i. e. Werke, Erzeugnisse. (cfr. Plaut. asin. 2, 4, 19 (operae araneorum); alio enim sensu pluralis est his locis: Plaut. Bacch. 1, 1, 11; Cic. Att. 11, 10, 1; Phil. 2, 8, 20, aliisque.). Singularis legitur I 1.

pabula II 6: (Borysthenes) alit laetissima pabula.
„ II 11: Nomades pecorum pabula (Futterplätze) secuntur.
„ II 15: terrae — fertiles ad pabula.
„ II 97: (insulae) ne pabula quidem large ferunt.
„ III 34: ubi invitavere pabula. (poet., ut Lucr., Ov., aliique, Plin.) Singularem quater invenimus: I 42, 116, III 17, 53.

pecora I 42: secuntur vagi pecora.
„ II 9: caesis pecorum visceribus.
„ II 11: Nomades pecorum pabula secuntur.
„ III 50: fecunda iis, quae pecora alant.
„ III 53: ut se — pecora impleant. (Verg. G. 3, 554, Curt., Plin., Tacit.) Singularis ter legitur: III 51, 75, 103.

pestes II 10: auri argentique maximarum pestium. (Similiter dicit Liv.: luxuria et avaritia, quae pestes — imperia everterunt;[1]) Cic. pluralem sensu concreto ponit.)

planctus II 20: (mortuos) cum acerbissimis planctibus efferunt. (Lucr. 2, 23; 9, 49, Sen. ad Marc. 6, 2, Curt. 10, 15, 7.)

recessus III 12: ubi modici recessus sunt. (Liv. 38, 45, Curt. 7, 2, 22, Plin. 3, 1, Quint. 11, 2, 18, Vell. 2, 32, 4, poet.) Singularis est I 16, 70, 84, II 55, III 74.

regna I 116: primi regna Amazonum tenent; plurali opus est his duobus locis:
„ I 29: regnorum terminus, Bocchi et Jugurthae, et II 102: novem regna. (poet.) Singularem M. habet: I 30, 63, 65, 77, II 100.

semina II 21: ubi quaedam semina ingesta sunt.
„ III 47: seminibus segetem novantibus.
„ III 53: ad maturanda semina. (poet., Cic. fin. 5, 7, 18, div. 1, 3, 6.)

situs I 24: oras situsque dicturo. (Cic. div. 2, 46, 97, ad Q. fr. 2, 16, 4, in Verr. 2, 39). Singularem ceteris locis legimus: I 1, 4, 68, II 1, 57.

umbrae I 73: per amoenas umbras (loca opaca).
„ III 61: umbrae rerum ad meridiem iaceant. (poet., Plin.)

Ex his undequadraginta substantivis singulari numero apud Melam prorsus carent haec: aquae, avenae, congressus, frondes, harenae, iurgia, lanae, meatus, mella, mentes, munditiae, nives, pestes, planctus, recursus, semina, umbrae, et verbis a Draegero[2]) allatis haec possunt addi: commercia, frondes, hiemes. iurgia, lanae, ligna, meatus, mentes, mercedes, pabula, pecora, planctus, semina, situs, umbrae.

Deinde ea substantiva concreta sequantur, quae Mela in numero singulari pro plurali posuit notione collectiva, cuius usus Livium Curtiumque fuisse amantissimos satis cognitum est[3]), noster autem auctor exempla exhibet non ita multa:

arbor — vitis II 16: (Thracia) raro usquam pomiferam arborem, vitem frequentius tolerat.
citrus — terebinthus III 104: saltus citro terebintho — abundant.
hebenus III 80: silva, quae hebenum generat.
frux III 58: Talge — omni fruge abundans.
„ III 75: Carmanii sine veste ac fruge. Pluralis est: III 81, 91, 105.
hostis III 34: ut sequens hostis exegit, ita castra habitant.

[1]) Vid. Georges, Ausführl. Lat.-Deut. Handwörterbuch[7], s. v.
[2]) Draeger, h. S. I. p. 4—20.
[3]) Cfr. Draeger, h. S. I p. 3 sq. Th. Vogel. in praef. ed. Curt. (1870) § 4.

pedes II 26: ex Asia in Graeciam pedes — transgressus est.
„ III 52: dimicant non equitatu modo aut pedite[1]).
piscis II 83: visum est tradere posteris piscem e terra erui. Omnibus reliquis locis est pluralis: I 32, 52, II 6, 97, III 64, 75.

Interdum Mela alios scriptores, imprimis Livium[2]), secutus ad numerum singularem substantivorum quorundam concretorum, in quibus notio collectiva inest, pluralem praedicati refert, cuius constructionis, quam vulgo ad synesin vocamus, exempla invenio haec pauca:

pars: III 63 pars nudi agunt, pars obscaena velati; similiter III 85, 107.
genus: I 83 genus armorum pugnaeque amans, ut bella agerent.
gens: III 34 ut invitavere pabula — ita res opesque secum trah e n s (sc. gens) semper castra habit a n t, quo loco numerus variatur simili modo atque apud Sall. Cat. 7, 4: iuventus — militiam disceb a t magisque lubidinem habeba n t. (Cfr. Sall. Cat. 23, 6, Tac. ann. 2, 24.)

Huc denique pertinet alia quaedam constructio, qua genera attributorum ad idem nomen referendorum mira sane duraque ratione mutantur hoc uno loco:

II 4: duo flumina Gerrhos et Ypacares uno ostio effluenti a adtingunt, verum diversis fontibus et aliunde delap s i. Hoc participium „delapsi“, quod optimi codices prae se ferunt, quamvis Mela scripserit ratione magis sensus quam formae grammaticae habita, tamen puto parum diligenter dictum altero participio „effluentia“ praecedente; eiusdem enim generis locos non dubium est quin apud alios auctores frustra quaeras.

De singulis substantivis.

Hoc loco index eorum vocabulorum subsequatur, quae imprimis poetarum veterum propria neque apud Ciceronem neque apud alios scriptores prosae orationis peritissimos ante Melam eiusque aequales inveniuntur, qua in re quasdam formas ab usu vulgari alienas obiter attingere ac respicere liceat Quorum ex numero haec in lucem proferenda videntur:

aegritudo III 64: quod nomen hoc loco idem valet quod aegrotatio i. e. morbus corporis[3]), quo sensu aetate aurea non occurrit[4]), sed apud Col. r. r. 7, 5, 20; 7, 7, 2, Plin. 8, 1, 3 aliosque auctores posteriores.
aequor I 9, III 3, 45 (= mare): sic a poetis optimis sescenties adhibitum videmus, sed apud Cic. aliosque idem significat quod aequus locus vel planities (Cic. div. 1, 42, 93). Perinde ac Mela illud adhibet e. c. Curt. 4, 30 (9), 11; 10, 2 (1), 12.
antichthones I 4, 94: quae vox Graeca, cum discesseris a Mela, etiam invenitur apud Plin. 6, 22.
canalis I 101, III 40: quod vocabulum a Cicerone non usurpatum etsi apud Varronem, Caesarem, Livium aliosque occurrit, putavi ideo non esse omittendum, quod hi loci Pomponiani desunt in lexicis[5]).
decor, ōris III 51 (incertum ob decorem an quid aliud infecti): hoc substantivo, quod plurimum invenitur apud Quint. (10, 1, 27; 10, 2, 22; 11, 3, 69 aliasque) et iam antea apud Vitr. (1, 2) poetasque, Cicero, Caesar, Sallustius, Livius non usi sunt; illis enim duobus locis Ciceronis (acad. 1, 9; de fin. 1, 10, 36[6]), quos R. Klotz in lexico attulit, ablativus „decore“ nescio an sit derivandus ex substantivo decus.
diluvium I 52, 64: Varr. frg., poet., Plin. ep. 8, 17, Senec. quaest. nat. 3, 27, Flor. 4, 2, 3.
dioryx (= canalis vel cuniculus) III 80: quod substantivum Graecorum Mela primus in sermonem latinum recepit omniumque aequalium solus adhibuit.

[1]) Ob oppositum fuisset concinnius peditatu, sed aliis quoque scriptoribus similia non displicent cfr. Tzschucke, not. crit. III p. 174.
[2]) Cfr. Kühnast, l. l. p. 61: Bei Livius hat dieser Gebrauch eine grofse Dimension; Draeger, l. l. I, p. 147 sq.
[3]) Cic. Tusc. 3, 10, 23: Sed proprie, ut aegrotatio in corpore, sic aegritudo in animo nomen habet non seiunctum a dolore.
[4]) Cfr. Krebs-Allg. Antib. s. v.
[5]) Inspexi haec lexica: Lex. tot. lat. ed. Forcellini (Schneeb. 1831); R. Klotz, Handwörterb. d. lat. Spr.[5], 1874; Georges, Ausführl. Handw.[7], 1880; Lex. zu den philos. Schriften Ciceros, Merguet (Jena 1887); Lex. Caes. ed. Meusel (Berol. 1887).
[6]) Cfr. Cic. legg. 1. 55; de fin. 2, 35.

dispendium (= damnum) I 31: quod temporibus antiquissimis et Ciceronianis poetarum tantummodo peculiare, aetate argentea apud scriptores, ut Sen. rhet., Col., rarissime occurrit.

eloquium (= elocutio vel lingua) III 91: quae vox poetica — nam invenitur ap. Verg. Aen. 11, 383, Hor. a. poet. 217, Ov. Met. 13, 63; 322, Juven. 10, 114; 118 — a Velleio (2, 68, 1) in orationem prosam videtur esse inducta.

frux III 58, 75: his duobus locis ablativum vocis defectivae sing. „fruge“ legimus, quo aetate aurea usus est Hor. solus (carm. 3, 23, 4, epist. 1, 16, 10) [1])

generatrix I 49: cuius substantivi verbalis genus femin. Mela primus solusque adhibuit; Cicero aliique gen. masc. generator (Cic. univ. 11, 34, Verg. Aen. 3, 704, Plin. 8, 174).

meatus III 2: quod legitur primum ap. Lucr. (1, 128; 5, 774), postea ap. Quint., Plin., Tac. aliosque.

navia III 62: ap. scriptores optimos nusquam occurrit.

nubila III 101: quod substantive positum poetarum est, ut Lucr., Verg., Hor., Ov., argentea autem aetate etiam ap. Plin. (2, 62) legitur.

pelagus pro mare, quam vocem poeticam (Lucr., Verg., Hor., Ov.) Mela adhibuit duodequinquaginta his locis: I 2, 8, 9, 10, 11, 20, 22, 24, 32, 35, 68, 81, 101, 109, II 16, 17, 26, 27, 31, 37, 47, 52, 54, 58, 74, 86, 91, 92, 95, 115, 116, 117, 123, III 1, 16, 21, 23, 37, 45, 51, 55, 61, 73, 76, 78, 79, 89, 90; alioquin substantivis mare, pontus, aequor usus est.

planctus (= plangor) II 20: quae vox poetica argentea demum aetate in prosa oratione invenitur, ut ap. Tac., Curt., Sen., Val. Max., Flor., Petron. [2]).

pollinem II 97: cuius substantivi, quod vocatur tetraptoton, accusativum sing. praeter Melam exhibent Cat. r. r. 156, 5; 157, 9, Col. 8, 14, 11, Plin. 18, 9, 20; 19, 5, 29; 29, 3, 11; 39 [3]).

primitiae III 37: quod temporibus optimae latinitatis a poetis solis (Verg., Ov.,) usurpatum videmus, posterioribus ab auctoribus orat. prosae, ut a Plin. (4, 12), Val. Fl. (3, 515), Col. (4, 10, 2), Tac. (h. 4, 53) nostroque.

puerperium II 18: quod primus Plautus (Truc. 2, 5, 22) adhibuisse videtur, postea Plin. 7, 4; 7, 11; 9, 25; 18, 29; 28, 8, Col. 3, 21, 3, Tac. ann. 15, 13, Gell. 10, 2.

raptor III 43: quod subst. item a poetis, ut Plaut. (Trin. 2, 1, 23; Epid. 2, 2, 115), Hor., Verg., Ov., adhibitum demum a Melae aequalibus, ut Quint. (7, 8), Vell. (2, 27), Val. Max. (5, 3), Col. (7, 12) in sermonem receptum est.

sitis (Dürre, Trockenheit) I 21 (ob sitim caeli terrarumque): hoc sensu aetate optima non legitur nisi apud poetas, ut Verg. (G. 2, 354; Aen. 4, 42, Tib. 1, 4, 42. Ov. fast. 4, 299), posteriore aetate ap. Plin. (19, 2), Col. (11, 3, 9.)

tempestatium III 45: de qua gen. plur. forma vid. Neue, l. l. I p. 269.

tergus, oris (= tergum, i) I 26, 71, III 50: quam formam tertiae declinationis omnium fere poetarum, ut Plaut., Verg., Propert., Ovid., propriam Cicero, Caesar, Sallustius, Livius respuerunt, posteriores autem auctores, ut Plin., Col., alii, in orationem pros. induxerunt. Forma vulgaris „tergum“ bis legitur ap. Melam (I 89, 98).

turrem III 11: quae forma etsi in omnibus codicibus legitur, deest apud Neue, l. l. I p. 203 sq.

vadus II 81 (exiguus vadusque est) pro vadum (I 35, II 104): quae forma nominativi masc. gen. non occurrit nisi in Trag. frg (ap. Front. ad M. Caes. 3, 13 p. 51, 15), Varr. (ap. Serv. Verg. Aen. 1, 111), Sall. hist. fr. 1, 68 [4]).

venerator III 85: quod substant. verbale rarissime occurrens ab Ovidio (ex Pont. 2, 2, 1) inductum esse videtur praeterque Melam adhibuerunt Val. Max. (3, 7, 1) et Arnob. (7, 31).

virtutium II 45: de qua gen. plur. forma vid. Neue, l. l. I p. 269.

zona I 4: quam vocem graecam aetate aurea poetae soli, ut Verg. (G. 1, 233), Ov. (Met. 2, 181), exhibent, Cicero autem aliique latine dicunt „cingulus vel orbis“ [5]).

[1]) De illo subst. vid. Neue, Formenlehre d. lat Spr.², I p. 492.

[2]) Cfr. Krebs-A. Antib. s. v., ubi noster auctor desideratur.

[3]) Neue, l. l. I p. 494, ubi Melae locus deest.

[4]) Ad illum locum Kritz (Sall. h. fr. ed. Lips. 1853) p. 98 hoc dicit: Vadus masculino genere dictum videtur ex prisco Romanorum usu. Neue, l. l. p. 527 sq. eam formam omisit.

[5]) Cic. rep. 6, 20, 21: cernis terram quasi quibusdam circumdatam cingulis.

II. De adiectivis.

a. De graduum comparatione.

Mela in augenda adiectivorum et participiorum significatione formas inusitatas vel odiosas adeo respuit, ut neque ipsum Ciceronem, quem multa adiectiva imprimisque participia comparative aut superlative primum dixisse libereque in sermonem latinum induxisse constat [1]), neque suos secutus sit aequales. Nam eis comparativis, quos ab omnibus fere scriptoribus aureae q. d. aetatis usurpatos invenimus, Mela adiunxit hunc tantummodo unum: adductior I 20, quod idem habet Plin. ep. 1, 16, 4.[2]) Ut autem eos comparativos et superlativos, quibus lectores offendi possint, effugiat atque interdum sermonis mutet colorem reddatque descriptionem dilucidiorem, Mela comparationem periphrasi, ut ita dicam, conformatam frequentat adverbia adiectivis addens [3]), qualia sunt haec:

adfatim: III 67 adfatim dites.

admodum: I 6 modice admodum, 16 inaequalis a., 64 munita a., 78 edito a., 102 saevo a., II 1 ditis a., 10 a. adsiduae, 81 spatiosus a., 95 a. pervius, 98 parva a., 100 fortunati a., III 53 a. expertes, 70 grandis a., 82 parvos a., 103 a. inopes.

bene: I 51 bene navigabilis.

eximie: I 21 eximie fertilis.

magis: I 1 longa magis, 21 vasta m., 30 culta m. et ditior, 35 m. infestus, 61 m. laeta et ditior, 74 m. horribile, II 74 m. culta et m. consita — laetior [4]), 86 magisque et magis latior [5]), 95 m. prominens, III 38 m. refertum, 40 m. pernix, 49 m. explorata, 51 m. ignari, 53 ignari m., 71 m. similis, 72 m. capax, 74 m. longa, 79 m. clara, 95 patentes m.

maxime: I 20 maxime angusta, 58 m. festus, 96 m. inlustria, 102 m. incurvus, 107 m. inlustres, II 3 m. inlustre, 11 m. memorati, 16 m. ferax, 19 m. laetum, 42 m. nobile, 53 m. clara, 86 m. angusta, 110 m. inlustria, III 50 m. similis, 64 m. pium, 79 m. ferax, 102 m. insignia.

mire: I 49 mire fertilis.

mirum in modum: II 95 mirum in modum concavus.

multum: I 76 multum pressus, II 37 m. prominens, III 41 m. distantibus, 61 m. abducta.

plus: III 40 plus — sublimis.

prorsus: III 106 clarum prorsus (Sall., Curt.)

satis: I 1 perplexo satis, 32 longe s., 72 s. arduum, 81 vaste s., II 33 angusta s., 92 magno s.

supra: I 72 supra — eximius,

aut adiectivis cum praepositionibus per et prae compositis usus ad superlativum circumeundum, cuius rei exempla haec leguntur:

perceleber II 41, perfecundus I 49, pernobilis II 26, pernotus II 42, pernoxius I 106, pervetus I 26, perviridis II 82 — praealtus I 27 [6]), praegrandis III 51, praegravis III 98. Quibus ex adiect. compositis occurrunt ap. Ciceronem duo tantum haec: pervetus (quod saepius legitur) et pernobilis (Cic. Verr. 4, 127), apud Livium hoc unum: praealtus (quod saepius l.), reliqua autem apud posteriores auctores: perceleber (Plin. 10, 18, Solin 1, 74), pernotus (Curt. 9, 17, 16, Min. Fel. Oct. 14, 4), praegrandis (Pacur. tr. 37, Pers. 1, 124, Plin. 4, 13, Suet. Tib. 60, 68, App. Met. 2 p. 125), praegravis (Ov. Her. 9, 38, Curt. 4, 118, Plin. 7, 8; 10, 33, Tac. ann. 11, 19; 14, 3; hist. 2, 21, Mart. 4, 18, 4.)

[1]) Draeger, h. S. I p. 28.

[2]) Cic. (d. or. 53, Tusc. 3, 17) et Colum. (3, 10, 1) formaverunt: productior.

[3]) Cfr. E. Wölfflin, Lat. u. Rom. Comparation, Erlangen, 1879, p. 7 sqq.

[4]) Jam Tzschucke in notis suis exeget. I p. 147 docet: Notabilis captatio varietatis, quam de industria ab auctore positam patet ex I c. 10 (61) et I c. 5 (30).

[5]) Simili pleonasmo utuntur Auct. b. Afr. 48: magis suspensior, 54: magis — studiosior, Vitr. 7, 10, 4: magis melior, aliique; Ciceronis autem locus in Pis. 14: „quaevis fuga potius — optatius" codicibus correctus est, cfr. Wölfflin, l. l. p. 46.

[6]) Hic locus Melae deest in lexicis.

b. Adiectiva et participia loco substantivorum posita.

Plurimus Mela est in adiectivis et participiis pro substantivis ponendis; qua in re etsi prioris vel suae ipsius aetatis auctores pro rata parte superavit, nullius tamen puto lectoris animum posse offendi, quod illum et brevitati sermonis studuisse constat et materiam per se aridam vegeto ac vario cuiusvis generis colore voluisse exornare veri est simillimum. — Ac primum quidem ea adiectiva et participia utriusque numeri nominativo et accusativo masc. et fem. generis posita, quae homines vel certos hominum ordines significant, respicienda sunt; qui usus cum ab optimis cuiusque aevi scriptoribus receptus ac tamquam sanctus [1]) nihil habeat memorabile, aliquos locos satis sit eligere: I 34 pertinax aemula, 41 liberi agnatique, 42 interiores (binnenländisch), 73 ingredientes, 74 ausos, 76 experti, 86 musici, physici. II 18 nati, 19 iudicaturos, 119 obvios, III 19 navigantes, 70 veteres, et quae sunt similia. Interdum legitur etiam genetivus plur. generis fem., ut I 94 divarum, III 35 adultarum.

Neque multo rarius apud M. nomina eiusdem modi inveniuntur alio casu, ubi eorum genus primo quasi aspectu non cognoscitur [2]), cuius rei exempla afferre liceat haec: I 1 orantis (= oratoris), attendentium, 10 venienti, 25 hinc in mare pergentibus, 41 proximis, 82 accedentium, 83 habitantium, 102 colentium, 106 adpulsis, II 1 innavigantium, adtingentibus, 12 bellantibus, 18 obeuntium, 20 iacentis (= mortui), 21 epulantibus, 45 ad Sunium tendentibus, 56 in damnum ituris, 83 posteris, captantium, 95 ingressis, 97 egressis fretum, habitantibus, 98 advenientium, 104 consectantibus, III 3 exeuntibus, 38 introeuntium, 48 profectis, 61 velificantibus, 80 introeuntibus, 86 sontium, volentibus, 88 oras sequentibus, 102 ita adfectis. Deinde nominativi et accusativi neutrius generis, imprimis in plurali numero substantive positi, ut apud omnes scriptores [3]), ita apud Melam totiens inveniuntur, ut eorum exempla sufficiat proponere pauca:

I 3 omne, cuncta, 11 ultima, 14 proxima, 22 cetera, 31 alia, 34 ignobilia, 35 brevia, 52 vitalia, 57 pensa, obscaena, 58 sollemne, 66 ulteriora, 73 ima, 116 haerentia,

II 3 in Paludem vergentia, 11 aliena, 18 beatiora, 55 sequentia, 65 maritima, 117 inlustria, iacta, diversa, 119 media,

III 19 apta, 22 editiora, 40 asperiora, subiecta, opposita, 43 frequentiora, 47 sata, 48 ventura, 49 certiora et magis explorata, 92 ardentia, 97 invia, 106 effossa, et q. s. s.

Saepius Mela ex illis adiectivis genetivum aliquem facit pendentem, quem usum Sallustium induxisse, Livium [4]) auxisse, Tacitum [5]) omnium creberrime recepisse docet Draeger (h. S. I p. 417 sqq.); quae res cum ad usum casuum pertineat, hoc loco paucis illustretur exemplis: I 13 interiora terrarum, 35 ob vadorum brevia, 73 opaca silvae, 91 ad ima montis, II 10 ob saeva hiemis, 32 ima eius, 89 eminentia cautium, III 40 ad opposita cautium, 45 reliqua lateris, 100 prima eius, et q. s. s.

Eius autem generis adiectivorum et participiorum alium casum ac nominativum vel accusativum Mela his paucis locis sibi sumpsit [6]):

I 4 huic [7]) medio, 57 intimis aedium, II 64 in angusto promuntoriorum, 82 proximis, III 19 crediti, 79 in medio insulae, 100 exustis, 102 sua sponte genitis.

Huc spectant illae quoque locutiones pro adverbiis positae, quae neutro singularis adiectivorum aut pronominum cum praepositionibus coniunctorum continentur; quarum exempla haec invenimus:

ex diverso I 6, 8, II 64, in artum I 6, ex adverso 31, de integro 38, in commune 42, in relicum 46, a vero 54, in latius 89, in latum 112, in medio II 34, in unum 36, in quantum 57, in angusto 64, ex alto (= ex profundo) 83, ad imum 83, in tantum 83, in medium III 1, ex praecipiti 40. Saepius legitur apud M. illud „ob id", qua de figura infra agetur, cum quaestio erit de praepositionibus. Quod dicendi genus neque a Graecis, apud quos

[1]) Cfr. Draeger, h. S. I, p. 36 sqq.

[2]) Draeger, l. l. p. 38 docet illum usum in universum esse rariorem.

[3]) Draeger, h. S. I p. 41.

[4]) Kühnast, l. l. p. 49.

[5]) Draeger, Synt. u. Stil d. Tac. p. 30.

[6]) Eundem usum apud alios quoque scriptores ante Tacitum esse rarum demonstrat Draeger h. S. I p. 41 et p. 416 sqq.

[7]) Sic habent meliores codices. alii: huius medio.

ἐξ ἴσου, ἐκ δικαίου pro ἴσως, δικαίως aliaque sunt, neque a praestantissimis scriptoribus prosae orationis latinis alienum poetae et posteriores scriptores multum prolatarunt [1]).

Ad adiectiva modo allata, quae substantive ponuntur, illa denique referuntur, quae ex aliquo substantivo omisso i. e. per ellipsin intellegenda sunt [2]). Cuiusmodi adiectiva a nostro auctore adhibita etsi fere omnia apud Ciceronem iam occurrunt omnibusque notissima sunt, tamen, ne rem relinquamus lacunosam, nobis liceat haec commemorare:

altum (sc. mare): I 16, 34, 61, II 33, 35, 38, 58, 89, 93, III 6, 16, 46. (Cic.)
annalis (sc. liber): I 59. (Cic.)
capitale (sc. facinus): I 58. (Cic.: capital).
continens (sc. terra): I 71, II 32, 80, 115, III 46, 51. (Caes. Liv.)
dextra, laeva, sinistra (sc. manus): tria haec adiect. saepe ap. M. occurrunt. (Cic.)
ludicrum (sc. certamen): I 36. (Liv. Curt. Plin. alii.)
natalis (sc. dies): I 46. (Cic.)
oriens, occidens (sc. sol): persaepe occurrunt. (Cic.)
volucris (sc. bestia): III 83. (Cic.)

c. Adiectiva adverbiorum loco posita.

Primo loco ea adiectiva proferemus, quae in accusativo sing. et plur. neutrius generis pro adverbiis a Mela usurpantur [3]):

alia, ad alia, I 116: alia steriles campos; II 125: ad alia largior.
aliqua [4]) III 90: orae notae sunt aliqua.
„ III 96: fons, quem Nili esse aliqua credibile est.
aliquantum I 102: mollitis aliquantum moribus; similiter III 21, 72.
cetera I 102: Pontus — sinuatus cetera; sim. II 55, III 38, 72.
ad cetera II 15: steriles ad cetera.
ceterum: saepissime legitur. multum — plus: de utroque vid. p. X.
nihil III 16: cuius ora — nihil progressa; sim. III 98, 102.
nimium I 54: illud — nimium a vero abscesserit.
pleraque II 66: sinus — pleraque asper; quem accusat. q. d. graecum nisi apud Gellium (7, 2, 1; 17, 19, 6.) non inveniri Draeger [5]) contendit nostro loco neglecto.
plerumque II 15: ob excedentia plerumque flumina.
plurimum I 41: caro plurimum ferina; sim. III 98.
ad postremum I 95: (ignes) — una ad postremum flamma ardeant; sim. II 62, III 21.
potius — potissimum: utrumque ter legitur I 23, III 89, 103 — I 24, 97, III 86.
tantum: adverbii vice compluries occurrit.

Tum adiectiva praedicativa, quae adverbiorum loco esse videntur, respiciamus. Draeger [6]) quaestione de hac re habita demonstrat illum usum apud comoediarum scriptores inventum a Cicerone eiusque aequalibus paulo tritiorem factum, apud posteriores frequentissimum fuisse maximeque apud Livium et Tacitum [7]). Nostrum quoque auctorem illam dicendi rationem, qua res vel imagines paene sub oculos subiciuntur, magnopere dilexisse exemplisque satis multis probasse, ex his quae sequuntur [8]) intellegi potest.

solidus I 9: cum (Asia) — solida processit; similiter II 58, III 69.
incurvus I 20: (Africa) — pergit incurva ad oceanum.
immodicus I 39: (fons) — immodicus exsurgit.

[1]) Draeger, h. S. I p. 47.
[2]) Draeger l. l.; R. Kühner, Ausf. Gramm. d. lat. Sp. II p. 1039.
[3]) Draeger l. l. p. 101 sq.
[4]) Formam aliqua utroque loco putaverim non esse adverbium illud aliquā, sed accusativum plur. aliquă (ut Graeci dicunt: ἔνια). i. e. in manchen Punkten, einigermaſsen, pro vulgari „aliquid", quod apud M. deest, vel „aliquatenus"; similiter enim M. dicit „alia, cetera, pleraque".
[5]) Draeger, l. l. p. 102.
[6]) Draeger, l. l p. 324; R. Kühner, l. l. II p. 176.
[7]) Kühnast, l. l. p. 56 sq. Draeger, Syntax u. Stil d. Tac. p. 5.
[8]) Omittuntur hic ea adiectiva praedicat., quae in omnium auctorum usu sunt, ut prior, primus, solus aliaque.

simplex — saevus I 50: (Nilus) — simplex saevusque descendit.
atrox I 51: (Nilus) — atrox decurrit.
amplus I 72: (specus) — amplior viret.
rectus I 81: Taurus it in occidentem rectus; sim. III 69.
praeceps I 115: Tanais praeceps ruit; sim. III 37.
liquidus II 6: Borysthenes — liquidissimus defluit.
citus II 63: Padus — tam citus prosilit; sim. III 40, 43.
integer II 79: Rhodanus — se integer agens venit.
continuus II 85: Pyrenaeus — trahit perpetua latera continuus.
placidus III 40: Araxes — labitur placidus.
pernix III 40: Araxes — pernix frangit.
tacitus III 40: Araxes — tacitus et vix fluens elabitur.
celer III 77: (Euphrates) — celer per Armenios petit.
perpetuus III 83: (Phoenix) ubi perpetua duravit, et q. s. s.

Usum autem vulgarem communemque secutus Mela etiam adverbia posuit, velut his locis: I 53: nives — largius defluunt; sol altius abit, I 99: aves quamvis alte et perniciter ferantur, II 108: mare — immodice fluens, III 68: (Ganges) angustissime fluit, III 77: (Euphrates) vaste decidit, pluribusque aliis locis.

d. De singulis adiectivis.

Denique ex adiectivorum et participiorum numero singularia, quae quidem in optimorum auctorum libris non reperiuntur, expromenda videntur haec:

adductus I 20: id adiect. partic., cuius de comparativo supra (p. X.) disseruimus, hoc loco idem sibi vult, quod „angustus", qua significatione nusquam invenitur nisi ap. Melam; nam loci Plin., Suet., Tacit. a nostro paulum discrepant.

bracatus II 10 (totum corpus bracati) i. e. bracis vestitus; qua vocis significatione principali tantummodo Mela usus est.

conterminus I 60: hoc vocabul., quod ap. Ovidium primum soiumque aetate aurea legitur, argentea praeter M. in orationem pros. receperunt Plin. (13, 14: 18, 6; 37, 9), Col. (1, 3, 7), Tac. (ann. 6, 36).

efferus III 93: hoc adiect., quod Vergilio in deliciis fuit, legitur etiam ap. Lucr. (2, 604), Sen. (Phoen. 264), Val. Fl. (1, 798 aliasque).

elephantinus I 26: quod praeter M. Valer. Max. (1, 65), Suet. (fr. 104) exhibent.

explicabilis I 56: praeter M. nullus auctor usurpavit nisi Plin. (4, 13), sed alio sensu.

famigeratus II 112: quod ante Melam nusquam et post M. nonnisi ap. Apul. flor. (2 n. 15) legitur.

fluctuosus I 102: a Plauto (Rud. 4, 2, 5) Mela et Plin. (37, 5) hoc vocab. repetivisse videntur: noster locus deest in lexicis.

impatiens III 17: quod temporibus optimae latinitatis non occurrit, sed apud posteriores scriptores saepissime, velut ap. Vell., Col., Plin., Tac. aliosque [1]).

nemorosus I 72: hoc adiect. a Verg. et Ovid. rarissime adhibitum cum in Sall. fragm. incertis [2]) inveniatur, dignum videtur, quod afferatur, praesertim cum locus noster in lexicis desit. Posteriores quoque script. illud raro exhibent, ut Plin. (4, 8; 12, 1; 35, 11).

nymphaeus II 3: hoc adiect. poetarum Graecorum, ut Eurip., Antiphanis aliorumque, Mela solus in sermonem recepit: in lex. lat. omnino deest.

oceanicus III 25: quod et ipsum a Mela solo usurpatum est.

orans I 1: i. e. dicens vel orator, quo sensu substantive iam occurrit ap. Ov. (Her. 16, 260), postea ap. Tac. (dial. 6 § 6.)

perceleber II 41: quod iterum legitur ap. Plin. (10, 5; 18), Solin. 1, 74.

perfecundus I 49: apud neminem alium invenitur nisi apud M.

[1]) Cfr. Krebs-Allg. Antib. s. v.   [2]) Sall. frgm. ed. Kritz. p. 372.

pernotus II 45: id habent etiam Curt. (9, 7 (28), 16) et Min. Fel. (Oct. 14, 4).

pernoxius I 106: nusquam occurrit nisi apud Melam.

perviridis II 82: quod item videmus ap. Plin. (6, 22; 87), Solin. (53, 21).

pomifer II 16: quod primum est ap. Hor. (Carm. 3, 23, 8; 4, 7, 11) et Prop. (5 (4), 7, 81), postea autem ap. Sen. (Her. fur. 700), Frontin. (4, 3, 13), Plin. (12, 3; 17, 27).

praegrandis III 51: quod compos. praeter M. habent Plin. (4, 13; 8, 15), Suet. (Tib. 60, 68), Ap. Met. (2, p. 125), veteribus temporibus Pacuv. (ap. Fest. p. 355).

praegravis III 98: quod adiect. ab Ov. (Her. 9, 98) profectum Liv. uno loco (44, 4, 10) adhibuit, postea praeter M. Plin. (7, 8; 10, 33) et praecipue Tac. (hist. 2, 21; ann. 4, 71: 11, 19; 14, 3), aliique.

puellaris III 35: quod ab Ovidio inductum saepiusque usurpatum postea Plin. (10, 55), Quint. (6, praef. 5), Tac. (ann. 14, 2) aliique sermoni immiscuerunt.

recidivus III 47: quod a Verg. (Aen. 4, 344; 10, 58), sed alio sensu profectum, a Mela, Plin. (30, 11), Cels. (3, 4) in prosam orationem receptum est.

resupinus III 106: id quoque Mela eiusque aequales, ut Plin. (7, 2; 8, 25; 9, 8), Quint. (5, 12, 20; 10 3, 15; 11, 3, 167), Col. (2, 2, 23; 7, 9, 1) ex poetis prompserunt et in sermonem suum receperunt.

spatiosus II 5, 37, 81, 123: imprimis ab Ov. adhibitum postea Plin. (4, 1; 4, 12; 4, 20), Quint. (4, 1, 1; 4, 20, 34; 9, 4, 136; 11, 2, 18), Col. (5,53) aliique asciverunt.

Ex nominibus igitur adhuc tractatis ea, quae a Mela solo inter omnes auctores latinos usurpata ideoque vocanda sunt q. d. ἅπαξ εἰρημένα, liceat hoc loco repetere:

dioryx, generatrix, nymphaeus, oceanicus, perfecundus, pernoxius.

III. De pronominibus.

ullus, nullus: utrumque pronomen M. substantive adhibuit et numero sing. et num. plural. positum his locis:

I 26: parma nulli nunc usuro habilis.

I 45: nulli certa uxor est.

III 37: cultores diutius quam ulli [1]) mortalium vivunt.

III 100 media (sc. frontis Africae) nulli tenent.

quis (= τις): quod pronomen indefinitum invenimus cum adiectivo „alius" coniunctum his duobus locis [2]):

III 51: incertum ob decorem an quid aliud vitro corpora infecti.

II 126: serpentibus — aliudve quod virus [3]) — fugientibus.

aliquis pro aliquibus, quam formam raram maximeque Plinii propriam [4]) ab auctore nostro hoc uno loco receptam videmus:

II 76: aliquot sunt aliquis nominibus loca; sed relativi formam pluralem quis i. e. quibus, quae iam apud Cic. legitur, M. textui sexies intulit: II 2, 17, 38, III 22, 46, 55.

„ut quisque" cum comparativo coniunctum, id quod raro invenitur [5]), M. his duobis locis sibi sumpsit:

II 12: ut quisque plures interemerit, ita apud eos habetur eximius, ubi ante adiectivum eximius supplendum est magis; altero autem loco pluralis eiusdem pronominis legitur:

II 10: ut quique [6]) maioribus praestant, ita magis aut minus.

Pluralem neutr. gen. M. habet I 2: ut quaeque erant clarissima.

uterque: cuius pron. pluralem gen. neutrius quattuor locis usurpatum videmus, quibus non intellegas, cur M. singularem spreverit [7]):

---

[1]) Livium imprimis hoc pron. substantive dixisse docet Kühnast, l. l. p. 202, sed locos tantum affert, ubi pron. ullus sing. numero positum est.

[2]) Draeger, h. S. I p. 71.

[3]) Haec verba non satis certa Bursian l. l. p. 649 tam probe emendavit, cum cod. A praebeat hanc corruptelam: aliud qot verus. Similiter Tac. ann. 14, 33 dixit: aliudve quod commercium.

[4]) Neue, l. l. II 239 sq., ubi Melae locus deest. R. Kühner, l. l. I p. 405.

[5]) Draeger, h. S. I p. 85. Krebs-Allg. p. 1173.

[6]) Pluralis masc. gen., qui rarissimus est, etiam apud Liv. occurrit. cfr. Kühnast. l. l. p. 201 et Neue. l. l. II p. 245, qui Melae locum praetermisit. Fortasse M. „quisque", quod duo codd. (BK) habent, scripsit, ita ut „praestant" κατὰ σύνεσιν intellegendum sit.

[7]) Ciceronem pluralem huius pron. eodem modo nunquam usurpasse docent Zumpt, lat. Gr.[10] § 141. aliique.

II 48: Corinthos ex summa arce utraque maria contuens.
II 87: Baetica maria utraque prospicit.
II 67: mare, quod inter utraque (sc. cornua) admisit.
II 72: Paulo et Varum flumina utraque ab Alpibus delapsa. Sed aliter est III 26: qui habitant — utraque exercent, ubi praegrediuntur hi plurales: animis et corporibus. Atque sex aliis locis M. tralaticio more eiusdem pronominis singulari usus est: I 27, II 35, 37, 95, 115, III 79 et quinque locis nomine numerali q. e. ambo: I 9, 11, 34, 34, 38.

sui: hunc genet. pronom. personalis reflexivi M. interdum posuit pro pronomine possessivo reflex. morem Graecorum, ut videtur, imitatus [1]):
I 1: (opus) ipsa sui contemplatione pretium operae absolvat; qui locus minus videtur mirificus, quod pron. „sui" genetiv. q. d. obiectivum prae se fert. Sed genet. subiectivum habemus his locis:
II 22: ubi Pontus alterum sui flexum angulo finit.
II 124: Baleares ex spatio sui cognominibus acceptis maiores minoresque perhibentur.
III 105: in finem sui fastigantis se Africae novissimus angulus.

se: pronom. reflex. ad subiectum eiusdem enuntiati pertinens apud M. occurrit, etiamsi cui participio vel adiectivo suppositum est [2]), velut his locis:
I 76: quia (specus) — demissa in se confestim exanimat.
III 48: putant Gallizenas — nonnisi deditas — in id tantum ut se consulerent profectis.
III 49: principum maximus, nec indomitarum modo ante se ignotarum quoque gentium; et syllaba „met", quae saepius occurrit, suffixa:
III 7: (Lusitania) bis in semet recepto mari in tria promunturia dispergitur.

se cum praepositionibus inter et contra copulatum et rationem mutuam exprimens [3]) legitur his locis:
I 36: virginum inter se decertantium.
I 67: tria (sc. oppida) singulis inter se stadiis distantia.
II 23: incurvis contra se litoribus.
II 95: proxima inter se Europae et Africae litora.
II 124: Baliares non longe inter se distant.
III 54: Orcades angustis inter se diductae spatiis.

hic: pronomen demonstr., quod M. frequentissime usurpat, ut res imaginesque ante oculos lectorum proponat, aliquotiens idem valet, quod pron. is [4]):
I 54 (hac re), sim. I 70, II 63, 97, III 31, et „hic qui" pro „is qui":
I 92: (Antandrum) ab his putant conditam, quos vis ac seditio exegerat; sim. III 19.
Melam quoque Graecorum ritu pronomen demonstr. ante enuntiatum relat. omisisse, illud quamvis optimis [5]) iam scriptoribus usitatum eo imprimis esse notandum videtur, quod in nostro libro saepissime occurrit, cuius rei exempla satis sit eligere haec:
I 3 additis quae commemoranda sunt, 27 oceanum ad quae nunc inundat admissum, 46 precatique quae volunt, 90 pulsis qui habitaverant,
II 7 Hipanis — diu qualis natus est defluit, 12 sauciant se qui paciscuntur, 63 (Padus) — qualem emisit undam agat,
III 27 prolatandique quae possident (sed III 52: prolatandi ea, quae), 45 emensos quae intererant, 87 ad sustinenda quae incidunt — infirmus.
Simili modo pronomine relat. „quo" praegresso demonstrativum „eo" ante comparativum deest, id quod interdum iam ap. Ciceronem invenitur [6]):
II 92 (sinus) — quo magis penetratur, angustior; sim. III 74.
I 72 (specus) — quantum demittitur, amplior viret, ubi exspectes „tanto".
Paulo autem magis offendimur, quod praecedens „quanto" sequitur „eo":
I 95 (sol) — quanto decrescit, eo clarior fugat noctem. (Sed III 40: quanto — tanto).
Denique commemorare liceat apud. M. pronomen „iste" prorsus deesse.

[1]) Draeger. h. S. I p. 433 sq.
[2]) Eadem quoque ratione usus est Velleius, cfr. Fritsch, Progr. Arnstadt. 1876, p. 15.
[3]) Draeger, l. l. p. 567.
[4]) Eundem usum observavit ap. Curt. Th. Vogel. l. l. praef. p. 15.
[5]) Zumpt l. l. § 765; Kühnast l. l. p. 194; 279.
[6]) Th. Vogel, l. l. p. 15.

IV. De adverbiis.

Cum non habeamus, quod nomina numeralia, quae a M. nec frequenter et usitate adhibita sunt, accuratius cognoscamus atque excutiamus, nunc ea adverbia Pomponiana addere liceat, quae a sermone Ciceronis aliena scriptorum demum posteriorum novimus propria; quae litterarum ordine disposita sunt haec:

alioqui, alioquin II 78, 81, 126, III 56: hoc adverb. ap. Lucr. primum inventum a Livio [1]) in pros. orat. inductum aetate argentea frequentatum est, ut lexica docent locis Melae praetermissis

aliquatenus I 29, 62: quod invenitur ap. Quint. (10, 1, 74; 11, 1, 28.), Plin. (21, 12, 150), Col. (14, 3, 3) aliosque.

aliter a c. Abl. I 57, de quo usu vid. s. praeposit. p. XVII.

continuo I 80 i. e. „unmittelbar darauf": Lycia continuo (sc. sequitur); quo sensu hoc adverb., quod omnes fere scriptores de tempore dixerunt, praeter M. nemo usurpavit [2]).

„ III 77 i. e. continue vel continenter: (Euphrates) nec agros continuo secat. Perinde Quint. (2, 20, 3; 9, 2, 11.); noster autem locus in lexicis deest.

exactius I 2, 24: hoc compar. adverbii „exacte" ap. M. primum, ap. Gell. (1, 3, 21) iterum legitur.

fabre II 19: hoc adv., quod ante M. non occurrit nisi ap. Plaut. (Men. 1, 2, 23; Stich. 4, 1, 64), ap. Liv. tantummodo in verbo compos. „fabrefacio" cernitur.

habiliter III 63: quod rarissimum adverb. legitur ap. Liv. epit. 57 [3]).

hucusque I 19, II 67, 67, 83: apud optimos auctores non invenitur, sed demum ap. Plin. (6, 29; 174), Quint. (5, 13, 22), Senec., posteriores [4]).

immodice II 108: primum legitur ap. Liv. (22, 27 aliasque), deinde ap. Quint. (11, 1, 19), Plin. (30, 13), Col. (2, 16, 2), Gell. (19, 2, 1).

invicem III 52: quod habent Caes. (b. g. 4, 1, 5; 7, 85, 5, Hirt. b. g. 8, 6, 4), Liv. aliique; Cicero autem utitur adv. solo q. e. vicissim [5]).

maligne II 16: hoc adv., quod a poetis Hor. et Cat. profectum in orat. prosa primum ap. Liv.[6]) (3, 63; 8, 12 aliasque), deinde ap. Curt., Sen., Plin. invenimus, nostro loco significat „wenig", qua rara notione etiam legitur ap. Sen. (benef. 6, 34).

novissime I 95, II 36 i. e. postremo: quo sensu et ap. Cic. (Planc. in ep. fam. 10, 17; 10, 24) et ap. alios, ut Sall., raro legitur; Melae loci desunt in lexicis.

perniciter I 99: quam vocem poetarum (Plaut., Cat.) a Livio [7]) (26, 4) primo in sermonem receptam rarissime legimus apud alios, ut Plin. (8, 14; 8, 53).

proximo II 37 pro „proxime": qua adverbii forma Mela solus de loco videtur usus esse; uno enim loco Ciceroniano (ad Att. 4, 17, 3), qui non satis certus est, idem significat quod nuperrime. M. locus in lexicis deest.

subinde I 39, 56, 94, II 30, 79, 89, 104, III 31, 37, 40, 43, 47, 87, 102: hoc adv. nec Cic. nec Caes. nec Nep. usurparunt, sed Liv. (7, 10, 10; 8, 27, 1 aliasque) demum in orat. pros. induxit [8]). Nostri loci desunt in lexicis.

V. De praepositionibus.

Quatenus Mela ab optimorum auctorum usu loquendi recesserit, melius etiam cognoscemus, si qua ratione praepositiones sermoni suo inseruerit inquisiverimus [9]); qua in re cum singula quaedam apud omnes pervagata necesse sit retractare, pluribus verbis commorari licebit. Ac primum quidem monendum est apud M. has praepositiones omnino nusquam inveniri: adversum, cis, circiter, erga, infra, penes, pone, propter, sub c. acc., super et subter c. abl., supra, abs, absque, coram,

[1]) Draeger, h. S. I p. 95; Krebs-Allg. Antib. s. v.; Th. Vogel. l. l. praef. p. 28.

[2]) Hand. Tursell. II p. 104 sq.

[3]) Draeger l. l. Livii et Melae locum omisit.

[4]) Hand, Tursell. III 108 sq.

[5]) Krebs-Allg. Antib. s. v., Hand. Turs. III p. 449 sqq. Melae locus deest ap. Hand. et in lexicis.

[6]) Livii et Melae loci desiderantur ap. Kühnast, l. l. 347 sqq., Draeger, l. l. p. 95 sqq.

[7]) Kühnast, l. l.

[8]) Draeger l. l. p. 105, Kühnast l. l. p. 357.

[9]) Ott, annal. a Fleckeis. ed. tom. CIX. p. 849: Am tiefsten greift der Wechsel, beziehungsweise die Modifikation in der Bedeutung im Gebiete der Partikeln, Präpositionen und Konjunktionen.

clam, prae, tenus; quarum e numero maxime desiderari arbitror has: erga, infra, propter, sub c. acc., supra, prae, praesertim cum ipsa nostri auctoris aetate usitatissimae fuerint. Sed transeamus ad singulas.

a, ab: de personis, a quibus actio fit, saepissime legitur (I 26, 34, 66, 70, 71 e. q. s. s.); nonnullis autem locis M. pro praepositione a dativum posuit, quae constructio apud Caes., Curt., Vell. aliosque non invenitur, ut I 70 Hipparcho dicitur, II 24 Rhesso regnata, 36 calcatum Herculi solum, III 47 quam Geryonae habitatam, 70 Hipparcho dicitur [1]).

Aliquotiens deinde haec praep. occurrit, ubi nudum exspectes ablativum:

I 42 utque (sc. pecora) *a* pabulo ducta sunt, III 84 promunturium *a* Ceraunis saltibus (i. e. propter C. s.) invium, 96 (fons) *a* barbaro ore corruptus (similiter Sall. Iug. 31 animus ab ignavia corruptus; Liv. 39, 40, Tac. Agr. 30).

Uno loco hanc praep. invenimus prorsus insolenter positam [2]):

I 57: multo aliter *a* ceteris agunt (sc. vitam), ubi aliter eodem sensu est quo diverse; optimi enim auctores, ut Cic. et Sall., non dicunt alius a, sed diversus a aut alius ac; rarissime post adiectivum alius ponunt etiam ablativum q. d. comparativum (Varro r. r. 3, 16, Brut. et Cass. ap. Cic. ep. fam. 11, 2, 2, Hor. Ep. 1, 16, 20, 2, 1, 239, Sat. 2, 3, 208, Phaedr. 3 prol. 41.). Melam secutus est demum August. conf. 7, 10 (valde alius a).

Deinde M. Livium imitatus esse videtur hoc loco:

II 5 *ab* armis quies erat (Liv. 1, 31, 5 nulla ab armis quies; 2, 34, 1 quietus a bello; Cic. autem dicit off. 3, 1, 2 requiescens a rei publ. muneribus). [3])

Tum hanc praep. de tempore usurpatam videmus his locis:

I 61 a quarta vigilia, 94 a media nocte, II 45 Marathon – testis iam inde a Theseo (Ter. Ad. 1, 1, 16 iam inde ab adulescentia, sim. Liv. 4, 36, 5. [4]) Duobus locis etiam a positum est pro vulgari ex:

I 34 Hipponensem vocant ab Hippone; I 80 Lycia cognominata a Lyco rege; aliis locis M. ipse posuit ex (I 38, 67, II 125, alibi).

Praeterea saepius praepositio a occurrit in locutionibus optimorum quoque scriptorum propriis, ut: ab ea parte (II 95, III 80), a tergo (I 90), ab tergore (III 50), ab latere (I 80) e. q. s. s. plurimumque in definiendis regionibus, ut: ob oriente, ob ortu, ab occidente, ab occasu, a meridie, a septentrionibus, a septentrione (I 9, 11, 15, 21, 23, 25 etc.) Denique eandem praep. ex omnium fere loquendi consuetudine connexam videmus his verbis: abesse (II 4, III 51), distare (II 107), abscedere (I 54), recedere (III 14), dirimere (I 18, II 8), distinguere (I 77), disterminare (I 101), separare (II 7), abscindere (III 46), discernere (III 33), et adverbiis antecedentibus: procul (I 31, II 60, III 24, 65, 107), longe (I 31, II 7), prope (III 24; proxima a II 89), et verbis locutionibusque originem vel initium significantibus: incipere (I 37, II 58), inchoare (I 86), exoriri (II 62), exsurgere (I 81), oriundus (II 77), principia esse (II 11); et saepissime sequente praep. ad, qua copulatione ambitus rei vel loci describitur, velut: a freto — ad ea flumina I 8 (sim. I 13, 15, 19, 30, 49 etc.), et in hac formula: ab his i. e. modo post has insulas modo post haec loca modo post hos populos (ut I 12, 24, II 54, 73, III 33, 59, alibi).

ad: cum hanc praep. verbis motum exprimentibus eadem significatione qua „usque ad" vel „versus", ut quandam directionem indicet, noster auctor creberrime coniungat, pauca satis sit depromere exempla:

I 9 pergit ad Nilum, 10 ad fretum extendit, 15 ad Pontum redigit, 16 ad fretum retracta, II 18 ad beatiora transire, 20 ad rogos deferunt, III 16 ad ripas expanditur, 43 ad frequentiora evadat, 103 tendente ad Hesperidas, et adiectivo praecedente: I 103 pervius ad manes, e. q. s. s.; itemque saepius occurrunt dictiones, quales sunt hae: ad orientem, ad occidentem, ad meridiem, ad septentriones. Multo autem rarius ad viciniam significandam haec praep. sicut „apud" vel „prope" est his locis:

I 35 ad Syrtim adiacent, 39 ad Catabathmon provincia est (cfr. Sall. Jug. 19, 3), 105 ad Thermodonta campus (sc. est), II 89 Ticis flumen ad Rhodam, Clodianum ad Emporias

[1]) Draeger. h. S. I 395 sqq., qui unum tantummodo locum M. affert.
[2]) Hand, Tursell. p. 271.
[3]) Hand l. l. p. 39; Draeger l. l. p. 577.
[4]) Hand l. l. p. 21 sq

(sc. est), 100 ad promunturium expositae, III 19 vitam alteram esse ad manes, 70 ad Tamum insula est; pariter hae formulae saepius leguntur: ad dextram, ad sinistram, ad laevam. Uno loco M. hanc praep. ex verbo composito „adtingere" abunde repetivit: I 20 qua ad fluvium adtingit [1]).

Sed finis et effectus hac praep. participio fut. pass. aut gerundio copulata exprimitur:

I 38 ad dirimendum bellum missi, 52 ad generandum efficax, 55 ad navigandum satis, III 53 ad semina maturanda iniqui, 56 ad ambiendum patulae, 88 ad sustinenda (sc. folia) infirmus, 104 efficacissimis ad tingendum, et gerundivo omisso:

I 65 ad belli pacisque munia eximium, II 18 paratissimi ad mortem, III 19 forent ad bella meliores. — Deinde modalem vim, ut ita dicam, praep. „ad" idem saepius significans, quod „secundum" aut „respectu", induit his locis:

I 32 mirum ad modum, 41 ad nostrum ritum moratis, 102 ad formam scythici arcus incurvus, II 15 ad pabula fertiles, steriles ad cetera (Apul. met. I 10: steriles ad aquas), 16 viros alit, non ad speciem tamen, ceterum ad ferociam et numerum, 35 pares ad famam, 125 ad alia largior (Parthey: *at* alia l., sed contra optimorum codd. auctoritatem), III 26 ad insitam feritatem utraque exercent.

De tempore denique eadem praep. M. usus est in hac formula: ad postremum (= postremo) I 94, II 62, III 21.

usque: quod plerumque adverbii munere fungitur praepositionibusque in et ad coniungitur, duobus his locis vice praepositionis esse videtur:

II 25 usque Tergestum, III 90 Gades usque; hoc vero inde efficitur, quod ea particula nominibus urbium addita est.

adversus: M. semel adhibuit, ubi idem valet quod contra: I 78 adversus Phoenicas et Persas pugna navalis.

versus: duobus locis legitur, altero instar adverbii: I 81 ad meridiem versus, altero autem praepositionis: II 120 Africam versus [2]) (sic habent omnes codd.).

ante: quam praep. videmus quater dictam de tempore: I 59, 64, III 49, 92, semel de loco: II 35 ante Axium (fluvium) Thessalonice est.

apud: M. ubique cum personis vel populorum nominibus coniunxit:

I 45 apud Garamantas, 114 apud eos, sim. II 9, 12, 14, 18, 19, III 26, 48, [56, ubi praep. in codd. deest], 86, 98, excepto hoc uno loco: I 78 magna apud eum (sc. Eurymedontem) pugna fuit.

circa: M. cum verbis, quae situm ac quietem notant, composuit:

I 94 circa Pontum aliquot populi (sc. sunt), sim. II 28, 109, 120, III 27, semel autem contra usum optimae latinitatis „circa" de motu dixit: I 50 circa Meroën insulam diffunditur (sc. Nilus), pro „circum" [3]), quod legitur hoc uno loco:

circum: III 70 circum eam isse.

citra: de loco secundum usum vulgarem M. dixit:

I 31 citra hanc — oppida sunt, sim. II 71, 121, sed notione rariore haec praep. est idem quod „praeter" (= abgesehen von) hoc uno loco:

I 113 citra magnitudinem prope Ponto similis; sim. Suet. Oct. 43, Quint. 1, 4, 22; 7, 2, 13; 8, 4, 8, Ov. ap. Quint. 12, 10, 75, Gell. 2, 3, 2, Flor. 3, 1, 2, Papin. in Dig. 3, 6, 9 [4]).

contra: De re in loco adverso posita plurimum dicitur:

II 99 contra (gegenüber) Thraciam, sim. II 102, 105, 110, 124, III 38, 54, 71, 99; uno loco haec praep. idem valet quod „ad" vel „ad — versus":

II 79 Rhodanus contra occidentem ablatus (codd. optimi hic habent: contra in occ.) [5])

Deinde de ratione, quae inter certantes intercedit, praep. est his locis:

I 38 contra Cyrenaicos missi, sim. II 78, III 81. Eodem sensu M. adhibet

[1]) Cfr. Tzschucke. not. crit. I p. 179.

[2]) Hic locus deest in lexicis: Draeger h. S. I p. 555 dicit eam particulam „versus (versum)" tamquam praepositionem ubique nominibus urbium additam esse excepto hoc uno loco: Plin. 10, 43 (60) forum versus; sed praeter Plin. et Mel. legitur apud Auct. b. Hisp.: versum oppidum (cfr. Georges l. l. s. v.).

[3]) Hand. Tursell. II p. 52 sqq. Draeger. l. l I p. 575.

[4]) Hand l. l. II p. 85.

[5]) Bursian l. l. (p. 646) lacunam suspicatus hoc conicit: contra <Ararim> in occidentem abl.

cum: III 27 bella cum finitimis gerunt,
III 34 feminae etiam bella cum viris ineant; quod idem est ac „contra viros", non, ut Tzschucke vult [1]), „una cum viris".
Deinde haec praep. pro ablativo modi saepius occurrit e nota frequentatione [2]):
I 38 bellum cum magnis cladibus gestum, 64 cum religione plurima retinent,
II 98 cum summa clade advenientium, III 62 cum summa pernicie adtingentium, hisque locis, ubi substantivum attributo caret:
II 126 cum pavore, III 2 cum spiritu, 65 cum gloria, 98 cum impetu morsuque.
Postremo praep. idem exprimit quod „una cum" vel particula „et":
I 10 ora eius cum alveo Nili descendit, sim. I 53, II 76, III 19.

de: saepius deprehenditur ante verba dicendi vel narrandi, velut
II 40 de locis haec memoranda sunt, sim. I 48, II 58, 119, III 82, 83; sed paulo insolentius [3]) dictum videtur „bellum gerere de aliqua re", ut
I 38 de finibus bellum iam diu gestum (sim. Cic. off. 2, 26.).
Deinde praep. uno loco cernitur non satis certo:
III 101 Atlas de se consurgens, quem locum Voss, Tzschucke aliique corruptum arbitrati codd. fere omnibus repugnantibus mutarunt in „dense"; hoc autem multo minus intelligitur quam „de se"; auctor enim describit montem A. non ex aliis montibus, sed ipsum ex se i. e. de plano consurgere; huc quoque convenit, quod Solinus (ed. Mommsen p. 122), quem Melam saepe compilasse constat, dicit: Atlas mons e media terrarum consurgit vastitate.
Tum praep. de occurrit crebrius pro genet. partitivo [4]):
I 117 nemo de gentibus, sim. I 85, II 62, 88, 125, III 43.
Praeterea praep. dicitur semel de loco, e quo actio fit:
II 31 de aris cinis abluitur, et de origene II 48: de illo cognomen est.
Denique instar adverbiorum positae sunt hae formulae:
I 29 de industria, 38 de integro.

e, ex: qua praep. etsi auctor magnopere delectatur, tamen non recedit ab usu optimorum scriptorum. Itaque omnes huius praep. locos longum est enumerare; hi vero digni qui proferantur videntur:
II 116 profugus ex Africa, ubi praep. pendet ex adiectivo (Liv. Tac.)
II 21 epulantibus hilaritas ex nidore contingit, ubi praep. pro abl. q. d. causae posita esse videtur.
I 92 ex Andro insula pro „ex insula Andro" (Ter.: ex Andro, e Sunio.[5])
Deinde praep. eodem sensu legitur quo „secundum" his locis:
I 20, 124 ex spatio, 84 ex ordine, II 21 ex specie et moribus, 26 ex figura, ex fortuna, III 27 ex libidine; denique hanc praep. videmus in illis formulis loco adverbiorum positis [6]):
I 6, 8 ex diverso, 27, II 64 ex adverso, I 52 ex parte — ex parte, III 1 ex medio, 29 magna ex parte, 81 ex facto quia i. e. „ideo quod" [7]).

extra: quae praep. nihil habet memorabile neque a M. adhibetur nisi de loco:
I 16, 57, 96, II 53, 66, 100, III 81.

in: cuius praep. M. est amantissimus; coniuncta enim cum acc. centies octogies sexies, cum abl. ducenties duodevicies legitur, quibus ex omnibus locis depromendi esse hi videntur:
cum abl.: populorum nominibus terrae designantur per metonymiam:
II 7 in Neuris, III 13 in Artabris, 20 in Treveris, in Haeduis, in Auscis (sic dicunt etiam Plaut. Cic. imprimisque Liv.[8]).
Praeterea praep. deprehenditur in his, quae verbo esse formantur, dictionibus:
I 106 in lusu risuque summum bonum est, 114 in aetate modus est, II 21 in pretio sunt i. e. magno sunt, III 86 in illis mos est i. e. illis vel apud illos; et in hac dictione

[1]) Tzschucke. in edit. indic. verbb. p. 35.
[2]) Hand, Tursell. II 153 sqq. Draeger, l. l. I 495 sq.: 597.
[3]) Hand, Tursell. II 209.
[4]) Draeger, l. l. 585 dicit hanc praep. sic usurpatam esse argentea imprimis aetate.
[5]) F. Holtze, Synt. prisc. Lat. (1861—62), I p. 50 sq.
[6]) Hand, Tursell. II 653 sqq.
[7]) Hanc formulam „ex facto quia" neque ap. alios auctores neque in lexicis librisque grammaticis inveni.
[8]) Hand. Tursell. III p. 246: Draeger h. S. I p. 604.

verbo habere formata: III 28 ius in viribus habent (sim. Galli ap. Liv. (5, 36, 5) Romanis respondent „se ius in armis ferre", et Amm. 17, 12 dicit: barbaris omne ius in viribus). Nec minus videtur observatione digna esse praep. his locis:

I 2 quae in natura regionum incolarumque memoranda sunt, ubi posita esse videtur pro de vel simplici ablativo [1]). Simili modo cum prioribus interpretibus, ut Pintiano, Ciacconio aliisque praepositionem putaverim supervacaneam hoc loco:

III 82 in magno examine volantes (sc. serpentes). De tempore denique praep. dicta est:

I 43 illis in quiete visere datur i. e. per quietem,

III 82 in ipso introitu finium i. e. primo introitu (Caes. b. g. II 30: primo adventu.)

cum acc. Omnes quidem auctores hanc praep. cum acc. coniungunt verbis, quae motionem in locum quendam exprimunt, antecedentibus; M. autem tot eius generis verbis, quae praepositionem in addi iubent nominibus appellativis, utitur, ut omnia quotquot erunt in lucem proferre operae pretium videatur: abduci (II 79, III 3), agi (I 6), cadere (III 40), colligere in (II 5), decidere (II 8, 26), cedere (III 73), excedere (II 58, 97, III 16), procedere (II 31), decurrere (II 119), excurrere (II 35, 52, 96), procurrere (II 85, 115, III 23), demitti (I 76), emitti (I 84, 99), inmittere (II 35, III 19), descendere (I 40), descensus (I 56, 73), demergi (II 10), diffundi (I 50, III 38, 77), effundere (I 9, 11, 13, 98, II 38, III 1), dirigi (I 45), dispergi (I 42, III 7, 68), elabi (III 40), evadere (II 17), extrudere (II 89), fastigare (III 105), fluere (III 51), defluere (I 8), effluere (III 8, 19), perfluere (II 115), profluere (I 112), fugere (I 99), inflecti (III 59), ingredi (II 32), progredi (II 38), transgredi (II 26), insinuare (II 91), ire (II 93, III 40), abire (I, 61, 89, II 17, 33, 73, III 6, 41), exire (I 6, 81, 101, II 23, III 29, 39, 45), redire (III 1), iacere (I 71, III 117), patere (I 112, II 55), penetrare (II 73), pergere (I 25), permeare (I 49, III 76), remeare (II 1), pertinere (I 18), proici (I 34), prominere (II 95), promovere (II 104), recipi (III 7), scindere (I 51), tendere (I 97), extendere (I 89, II 86), vehi (II 37), devehi (I 40), evehi (III 46), venire (III 77), devenire (I 9, 51, II 119, III 40, 45), pervenire (II 85, III 41), vergere (I 19, II 1, 3, 116, III 97, 107), verti (III 1), converti (II 85, III 98), obverti (I 109); multo autem rarius verbis motionem in superiorem locum indicantibus [2]): exsurgere (I 20), erigi (I 55, III 101).

Huc referendae ac notandae sunt hae quoque dictiones Melae propriae [3]):

II 56 in damnum (sc. ire), quibus verbis nomen urbis Epidamni explicare vult,

III 34 expedita in ictus manus (Cic. Brut. (48, 180 et alibi) dicit: exped. ad aliquid).

III 102 solvuntur in mortem (Ov. am. (2, 10, 36; 146) solvi morte; sim. Flor. Petr.)

Magis vero miramur hanc praep. coniunctam esse cum acc. his locis:

I 55 lacus viginti milia passuum in circuitum [4]) patens (nam dicunt „in circuitu" Caes. (b. g. 2, 29; 30, alibi), Eutr. (6, 17: Gallia quae patet in circuitu.), Plin. autem aliique „circuitu").

II 24 in radicem magnae paene insulae sedens Lysimachia [5]).

III 111 in orbem iacent Cyclades (sim. Liv. in orbem se tutari [6]).

Tum praep. saepius idem valet quod „ad" vel „ad — versus":

I 22 Mauri in pelagus expositi, II 69 in mare Tuscum flexus est, 77 in eo (sc. portu) Massilia, III 8 in illam partem flexus aperitur, 75 in ipso (sc. sinu) Carmanii positi, 78 Euphrates non perdurat in (i. e. usque ad) pelagus. Huc etiam pertinent loci, quibus in adverbio usque copulatum est:

I 22 usque in confinia, II 39 usque in Hadrian, 97 in pollinem usque.

Sed vice praepositionis contra legitur in his tantum duobus locis:

II 32 a Xerxe in Graios tendente,

II 45 Graiorum classis in Troiam coniurantium (cfr. Eutr. 6, 25).

[1]) Jam Pintianus praep. in vult deleri. cfr. Gronov. ed. Mel. p. 4 Anm.

[2]) Hand. Turs. III p. 303, Draeger l. l. p. 610

[3]) In lexicis desunt.

[4]) Sic M. solus dixisse videtur, qui locus etiam in lexicis deest.

[5]) Bursian l. l. vult hic legi „radice", sed nescio an iniuria; nam illud „in radicem" a M. sermonis usu minime alienum est.

[6]) Alia exempla vid. in Handii Tursell. III p. 310.

Praeterea haec praep. cum acc. coniuncta est in his formulis:

I 25 in commune, II 19 in hoc (i. e. huius rei causa[1]), 95, III 92 mirum in modum, II 108, III 1 in vicem, 36 in unum[2]), 48 in id (i. e. eo consilio).

I 57 in quantum, II 104 in tantum (i. e. adeo)[3])

Denique praepositionem bis tantum de tempore dictam videmus:

I 46 in relicum, III 95 solitudo in diem[4]) (i. e. die vel per diem) vasta (Plin. dicit: in diem turba renascitur.)

inter: libenter M. hanc praep., quae septuagies semel occurrit, usurpat verbo movendi antecedente, quem usum a Verg. inductum Livium demum paulum auxisse docet Draeger l. l. p. 567[5]):

II 4 Gerrhos inter Basilidas et Nomadas evolvitur; sim. I 9, 18, 31, 69, 90, II 4, 7, 25, 52, 57, 58, 67, 79, 89, III 79. — Notio vero temporis hoc uno loco exprimitur:

II 13 inter epulas referre (Curt. 3, 12, 9; 8, 2, 8)[6]). Ceterum de reliquis locis hanc praep. exhibentibus non est cur agamus, cum recesseris ab hoc:

III 13 duo (sc. ostia) etiam inter accolentes ignobilia, ubi expectes praep. apud vel dativum nudum.

intra: bis tantum ex omnium usu legitur: I 57, II 126.

iuxta: hanc praep. quater cum rebus ad locum pertinentibus coniunctam videmus: I 51, II 80, 90, III 11, semel vero insolenter cum populi nomine et cum verbo movendi[7]): III 42 Oxos (flumen) occurrens iuxta Dahas inflectitur.

ob: M. locis satis multis (uno et triginta) adhibuit, propter, ut supra diximus, nullo; maxime vero mirandum est, quod auctor, qui sermonem studuit reddere varium, illam figuram „ob id" totiens repetivit, nescio an ductus graeca „διὰ τοῦτο"[8]):

I 42, 53, 76, 87, 99, III 40, 98. Nihil aliud de hac praep. monendum est.

per: saepissime adiungitur substantivis, qui locum aut populum significant:

I 37 per arva decidens, sim. 51, 52, 70, 73, II 8, 44, 62, 63, 67, 79, 83, 85, 116, III 5, 10, 11, 13, 40, 41. 42, 71, 90, 97, per Thessalos II 35, per Histros 57, per Avarignos III 15, per Carmanios 75. Sed multo insolentius positam praep. videmus:

II 1 per eundem amnem (i. e. dem Strome nach) remeantibus (Curt. 9, 8, 3 per annem navigare[9]). Etiam raro de tempore per dicitur: I 39 per meridiem, sim. 53, III 57, 61.

Deinde praep. deprehendis vi ablativi q. d. causae uno hoc loco:

I 58 per inprudentiam interemisse; et uno denique loco, ubi praep. refertur ad verbum iurandi: I 46 per eos deierant.

post: a M. plerumque adverbii vice adhibitum legimus praepositionem his tribus locis:

I 82 post eius promunturium, 86 post Basilicum, II 72 post Athenopolim.

praeter: septies invenitur ubique idem significans, quod germanicum „außer, abgesehen von":

I 48 praeter effigiem nihil humani, sim. 52, 82, 85, II 94, III 45, 75.

pro: M. nusquam de loco adhibet, sed plerumque eodem sensu quo „vice, loco alicuius hominis vel rei":

I 45 quos pro suis colant, sim. 46, 92, 117, II 2, 9, 11, 15, III 56, 91; huc quadrant locutiones etiam illae, quae verbo habere formantur:

I 26 pro vero habent, III 35 pro flagitio habeatur, 58 pro sacrilegio habent, et illa formula „pro consule": III 45 cum Galliae pro consule praeesset.

Uno autem loco praep. pro dictam de defensione videmus:

III 81 pro satis frugibus dimicando. Denique vim, ut ita dicam, modalem praep. habet: II 60 si pro materia dicatur.

---

[1]) Hand. Tursell. III p. 320.

[2]) Hoc loco: „fere omnes et in unum Belcae adpellati" illud „in unum" idem significare videtur quod uno nomine.

[3]) Hand's Tursell. III p. 332.

[4]) Bursian l. l. (p. 649) contra omnium codd. auctoritatem hanc scripturam iudicat depravatam legique vult: interdiu, sed nescio quo iure; recte enim Hand (Turs. III p. 334) dicit: recentiores scriptores et poetae simpliciter usurpabant in pro per. (cfr. Hor. a. p. 60, Verg. Aen. 7, 8. Plin. 5 15, 17. alii.).

[5]) Sim. R. Kühner, l. l. II p. 400 sq.

[6]) Th. Vogel, l. l. praef. p. 24.

[7]) Draeger, l. l. p. 544; hic locus Melae in libris gramm. lexicisque desideratur.

[8]) Illud quoque percussit animum illius viri docti Moranski (Wien. St. IV p. 166.).

[9]) Cfr. Th. Vogel, l. l. p. 25.

prope: quae particula a M. praepositionis loco semel usurpata est: II 106 prope Thraciam; omnibus enim reliquis locis vicem adverbii praestat eadem notione qua „paene“ (I 6, 113, II 37, alibi); compar. autem „propior“ apud M. semper cum dat. (I 53, 70, 77, al.), „propius“ c. acc. (II 120 propius Italiam), superl. „proximus“ modo cum dat. (I 12, 14, 22, al.), modo cum praep. a (I 34, II 61, 89, III 103) coniungitur.

secundum: haec praep. ex usu vulgari usurpata legitur:

I 83 secundum Galbiam amnem, 105 sec. Halyn, III 11 sec. portum Ebora; sed cum nominibus urbium coniuncta idem valet quod „prope“ vel „praeter“, cuius usus in libb. grammaticis lexicisque parum esse habitam rationem existimaverim, velut his locis:

II 6 (Borysthenes) secundum Borysthenida et Olbian, graeca oppida, egreditur i. e. prope B. et O., sim.

II 57 Aeas (amnis) secundum Apolloniam emittitur,

II 80 sec. Beterras Orbis fluit i. e. praeter B.

sine: haec praep., quae semel et vicies legitur, nihil habet memorabile nisi quod cum substantivo coniuncta nonnunquam participialiter aut adiective posita est, ut his locis:

II 43 ubi (faces) sine igne (i. e. exstinctae) procul admoventur (Plin. 2, 106: si (faces) exstinctae admoveantur), 126 Colubraria sine pernicie (i. e. innoxia vel tuta) et rata est, III 58 Talge (insula) sine cultu fertilis i. e. etsi inculta tamen fertilis, 89 inde ingens et sine cultoribus tractus i. e. cultoribus vacuus. (Curt. 7, 5, 8 sine modo pro immodice, et q. s. s. [1])

sub: quod M. nonnisi c. abl. connectit, nihil ab usu optimorum auctorum alieni habet hisque locis invenitur: II 59, III 36, 91, perinde ac

subter: quod c. acc. coniunctum est duobus locis: I 54, II 117.

super: quod haud raro, sed semper de loco dictum occurrit, a M. nonnisi cum acc. coniunctum est et omnibus fere locis significat „über — hinaus“:

I 13 Dahae super Scythas (sc. habitant), item I 14, 23, 36, 53, 89, II 3, 19, 21, 59, 112, III 31, 53, 83, 93; sed simile est praepositioni supra, quae apud M. solam adverbii obtinet vicem, in hac locutione: II 103 super aliena tecta sedem ponere; verba enim „super al. tecta“ ita intellegenda sunt, ut alia domus alia superior fuerit. Similiter in illa formula „alius super alium“, quae bis legitur: I 56 alium super alios orbem agentibus, et III 102 aliis super alios innascentibus [2]).

trans: usitato more his locis invenimus dictum: I 79, 85, 98, 99, II 28, III 6, 91; idem valet de

ultra: quod adverbialiter positum est exceptis his locis: I 12, 26, 43, 106, 117, III 44, 94, 95.

VI. De verbis.

a. Simplicia adhibentur pro compositis.

Verba simplicia, velut linquere, apisci aliaque, pro compositis usurpata, quae antiquissimis iam temporibus perpauca inveniuntur, quamvis optimi auctores qua par est diligentia fugerint, a poetis tamen aureae aetatis et posterioribus scriptoribus maximeque a Tacito [3]) satis frequentata esse demonstrat Draeger l. l. p. 116. Itaque quatenus Mela in illo usu progressus sit, non alienum esse videtur investigare. Cuius generis verba haec digna videntur quae proferantur:

angusto III 14 (Cat. Sen. Plin. alii) pro coangusto, quod legitur ap. Varr. Cic.

arto I 17 [4]) (Liv. (45, 36, 3), poet., poster. auct.) pro coarto, quod ap. Cic. occurrit.

crepo III 95 (imprimis poet.) pro concrepo, quo Cic. Caes. Liv. usi sunt.

curvo III 31 (saepissime poet.) pro incurvo, quod Cic. et Mela ipse (I 10, 93) adhibuerunt.

do I 103 pro condo: Mariandyni urbem habitant ab Herculo datam [5]). (Sim. Stat. Theb. X v. 884; sed locus Min. Fel. 21, 10: „urbem Saturniam d e d i t de suo nomine“ ab Halm. mutatus est in: „u. S. i d e m d. s. n.“)

[1]) De illo usu vid. Th. Vogel, l. l. p. 25.

[2]) E. Wölfflin, Krit. Anh. zu Liv. XXII 6, 5 p. 95.

[3]) Kühnast, l. l. p. 332 sq., Draeger, Synt. u. Stil d. Tac. p. 9 sq. Th. Vogel, l. l. p. 20.

[4]) Georges lex. lat. falso affert alterum M. locum: forma terrae quadrata nisi quod artantibus freti litoribus.

[5]) Hoc sensu auctore iam Tzschuckio (cfr. not. crit. I p. 582 sq.) illud verb. dare accipiendum est, etsi ap. alios script. rarissime occurrere videtur.

fodio I 57 (verscharre sc. mortuos) pro defodio, quod M. ipse (III 19) habet, vel pro infodio, quod compos. legimus ap. Nep. (Paus. 5, 5) et Caes. (b. g. 7, 73).

lego III 86 (Cic. Liv.[1]) alii) pro eligo; aliis autem locis ap. M. significat idem quod peragro vel perlustro: I 24, II 27, 44, 89.

loco II 21 pro colloco: virgines — publice locantur; quo simplici v. tantummodo poetae usi sunt pro colloco, ut Plaut. Enn. Ter.

memoro I 2, 12, 43, 76, 85, 94, II 5, 11, 29, 36, 40, 44, 119, III 82, 84, 90, 100 (raro ap. Cic.[2]) pro commemoro, quod M. quattuor tantum locis (I 29, 92, III 45, 62) adhibuit.

novo III 47 (poet. Cic. Liv. alii) pro renovo.

pello I 90 (imprimis a Liv.[3]) frequentatum) pro expello.

premo I 7 (ubi fretum — se pressit i. e. coartavit) pro comprimo; (verb. simplex est etiam ap. Lucr. 6, 845: frigore terra premitur coitque; sim. ap. Hor. Verg. Ov.)

signatus II 26 [portus Scaeolus — Laconicae classis signatus (i. e. gekennzeichnet, gebrandmarkt) excidio] pro insignitus (Cic.).

spargo I 94, III 31, 106 (Cic. alii) pro dispergo.

statuo (sc. urbem) I 88, 90 (imprimis poet.) pro constituo (Cic. Caes. Nep. alii).

taceo I 31 (Cic. de or. 1, 26, 176; Liv. 25, 6, 10[4]) pro reticeo.

tendo I 97, II 32, 45, III 82, 103 (Cic. Att. 16, 5, 3, Liv. 37, 11, 10[4]) pro contendo.

teneo I 14, 22, 37, 63, 110, 116, II 3, 4, 32, 52, 55, 106, III 15, 54, 67, 79, 100 (imprimis Liv.[4]) pro obtineo; sed II 77 pro retineo.

b. Composita adhibentur pro simplicibus.

Ut verba simplicia pro compositis adhibita in dicendi genere alicuius scriptoris constituendo respicienda sunt, ita verba composita eodem iure addere debemus, quae loco simplicium ponuntur. Nonnulla enim sunt composita, ut rectissime docet Ph. Thielmann[5]), in quibus iam Ciceronis temporibus praepositionis vis adeo debilitata erat, ut qua ratione eorum significatio distaret a verbo simplici, non iam perspiceretur; itaque Cicero, qui ipse in primis libris, quos conscripsit, eiusmodi verba composita adhibuerat, in posterioribus scriptis illa sermonis plebeii propria ratus, ut adcuro, cohonesto, demorior aliaque, abiecit solumque verbum simplex recepit. Ex his vero compositis, quae Cicero quique eum secuti sunt ex sermone urbano excluserunt, apud Melam invenio haec duo:

adaugeo III 21 pro augeo, et deiero I 56 pro iuro; de utroque composito Ph. Thielmann l. l. egregie ac copiose disseruit. Sed huc accedunt quae apud probatissimos prosae orationis scriptores prorsus non leguntur, haec perpauca:

adflecto III 16 pro flecto: ora grandi circuitu adflexa; quod compositum nonnisi invenitur ap. Avien. Arat. 734; Caes. Germ. Arat. 191, Apul. met. 6, 18.

adverto III 16 pro verto: ora — ad occidentem litus advertit; optimi enim scriptores coniungunt illud comp. fere cum hoc accusativo „animum“, poetae autem et script. posteriores aeque adhibent ac simplex[6]).

cognomino I 80 pro nomino: Lycia — cognominata a Lyco rege[7]); quod compos. semel occurrit ap. Liv. epit. 55, postea ap. Plin. Justin. Gell. aliosque.

c. De verbis activis et passivis, quae pro intransitivis ponuntur.

Primum quidem verba reflexiva activa pertractanda sunt, quae cum accusativo pronominis reflex. „se“ ita coniunguntur, ut sensu transitivo posita videantur neque aliud obiectum admittant[8]), velut illo loco Pliniano[9]): „littera fundente se (indem der Buchstabe sich ergiefst, d. h. zerfliefst)“, ubi verb. se fundere reflexivum est idque intransitivum; altero autem loco Plin.[10]): „Theo-

[1]) Kühnast l. l. p. 333.
[2]) Krebs-Allg. Antib. s. v.
[3]) Kühnast, l. l.
[4]) Kühnast. l. l. p. 332.
[5]) Ph. Thielmann „de sermonis proprietatibus, quae leguntur apud Cornificium et in primis Ciceronis libris“, Diss. phil. Argorat. II, p. 351 sqq.
[6]) Krebs-Allg. Antib. s. v.
[7]) Hic locus in lexicis deest.
[8]) R. Kühner, l. l. II 79; Draeger h. S. I p. 121; Kühnast l. l. p. 262.
[9]) Plin. h. n. 13, 12 (25).
[10]) Plin. h. n. 34. 8 (19).

dorus ipse se ex aere fudit" idem verbum non intransitivum est, quod aliud quoque obiectum substitui potest. Eius igitur modi verba reflex. intransitive posita, quae apud alios quoque scriptores cuiusvis aetatis inveniuntur, Mela imprimis frequentavit, ut his locis:

lib. I 6 (mare) — se laxat i. e. patescit, 7 (fretum) se artat — pressit i. e. in artius coit, 7 se expandit — effudit i. e. exiit, 9 (Asia) — se effundit i. e. late patet, 10 (ora) — se incurvat i. e. incurva fit, 10 se extendit i. e. late patet, 16 (ora) — se evehit i. e. prominet, 20 (Africa) — fastigat se i. e. in acutum desinit, 51 (Nilus) — se scindens i. e. diffluens, 52 (Nilus) — se sibi reddidit [1]) i. e. intra alveum suum rediit, 63 se — committit Antiochia i. e. adiacet, 74 amnis — se extollens i. e. accrescens, 74 se ostendit i. e. apparet, 75 (specus) — se ostentat, 79 Cestros (fluvius) — se praecipitat i. e. rapide fluit, 86 Jonia — se sinuat i. e. incurva fit, 94 (ignes) — se coniungere videntur i. e. coire, 95 (flamma) — se cogit ac rotundat i. e. in unum confluit ac rotunda fit, 102 sese — Pontus aperit i. e. patescit, 108 locus — se adtollens i. e. consurgens, 109 montes — se exporrigunt i. e. pertinent.

lib. II 5 terra — se fastigat, 38 terris — se expandentibus, 58 (Italia) — se adtollens, 62 (Padus) — colligit — se effundat, 67 frons — se scindit, 79 (Rhodanus) — se agens i. e. rapide fluens, 86 (Hispania) — se extendit, 91 se — pelagus insinuat i. e. penetrat, 102 Cypros — se inmittens i. e. pertinens, 117 fons creditur — se consociare.

lib. III 2 (maria) — se adtollant, 6 Lusitania — se abducit i. e. recedit, 7 (promunturium) — se fastigat, 14 semet terris angustantibus, 22 se fluctus implevit i. e. accrevit, 31 (mare) curvans se, 34 (Sarmatae) — se tenent i. e. habitant, 40 (Araxes) — se frangit i. e. diffluit, 50 (Britannia) — se cuneat i e. cuneata fit, 53 pecora — se impleant i. e. satura fiant, 57 (sol) — se evehens i. e. oriens, 69 (Indus) — se diducens i. e. diffluens, 89 se Africa extenderet, 97 Nilum se ostendere, 105 Africae se fastigantis.

Pro eis autem verbis activis, quae modo protulimus, noster auctor multo crebrius verba passiva notione ac vi deponentium posuit, quae in sermonem Germanicum verbis reflexivis vel intransitivis vertuntur; qua in re sitne alia causa ductus atque ut sermonem redderet magis varium, in medio relinquamus. Cuiusvis quidem aetatis scriptores optimos illo dicendi more usos esse docuerunt cum alii viri docti tum diligenter Th. Nölting in libello annuo (Vism. 1859), cui praecedit haec commentatio: Das lateinische Deponens. Sed cum verba satis multa, quae in nostra chorographia inveniuntur, neque ille vir doctus neque alii, ut Draeger et Kühnast l. l., enumeraverint neque lexicographi respexerint, nobis omnia fere eius modi verba a Mela usurpata ex ordine litterarum afferre liceat eis, quae omnino non exstant nisi deponentia, ut circumvehi, praetervehi, venerari aliaque, omissis:

abduci i. e. recedere: abducitur (sc. ora) I 16, III 3, abductus II 79, 104, III 50, 61. [hoc verbum M. solus sic adhibuisse videtur.] [2])

abscondi: absconditur (sc. Nilus) III 97. [poet., Curt.]

adaugeri i. e. accrescere: adauctus est (sc. Garunna) III 21. [Plin. pan. 22: laetitia adaucta est.]

adflecti: adflexa (sc. ora) III 16. [M. primus adhibuit, cf. p. XXIII.]

adiungi: adiungitur (sc. Macedonia) I 18. [Cic. adiunctum esse.]

admitti i. e. influere: admissum (sc. pelagus) II 91, III 13. (sed I 27 passive positum.) [Ov. aquae admissae i. e. reifsender Strom.]

adnecti i. e. adhaerere: adnectitur (terra litori) II 5; 80, adnexus I 66, 71, 89, II 115. [Cic. alii.]

adponi i. e. adiacere: adpositus I 34, 72, 109, II 1, 50, 74, 106, 107, III 57, 87, 100. [Cic. alii.]

adtolli i. e. consurgere: adtollitur (Arabia) I 61; 81, III 60. [poet. Plin. Curt. Tac.]

agi i. e. fluere: agitur (mare) I 6, actus III 97 (sed I 53, 110 pass. pos.) [Liv. Vell. Curt. poet.]

ali: alitur i. e. crescit (sc. Padus) II 62, aluntur i. e. edunt I 44, III 103. [Cic. alii.]

[1]) Tzschucke (not. exeg. I p. 272) hunc locum recte appellat exemplum poeticae locutionis elegantissimum.

[2]) Scriptores fere pros. orationis, apud quos illa verba eodem modo occurrunt, uncis [] inclusi: sed verbis a Cic. sic usurpatis nullum alium auctorem adiunxi.

aperiri: aperitur i. e. patescit vel effluit (sc. lacus) I 113, i. e. apparet (sc. specus) I 73, III 8. [Cic. n. d 2, 20: stellae aperiuntur i. e. zeigen sich.]
arcuari: arcuato omne III 40. [Praeter M. Plin. 29, 136.]
auferri i. e. abscedere: ablatus (Rhodanus) II 79. [de fluviis M. solus sic dixisse videtur; de animalibus Verg. Ov. Plin.].
averti i. e. abscedere: avertitur (Euphrates) III 78. [Liv. Quint. Gell.]
circumfundi i. e. circumflare: circumfusus (sc. aer): [Liv. igni circumfuso; ap. Cic. aliosque hoc verb. idem saepius significat quod circumfluere, circumire] (III 45 pass. pos.)
colligi i. e. confluere, coire: colligitur (pelagus) III 1, collecti (ignes) I 94. [Caes. Liv. Plin. alii.]
committi i. e. coire: committitur (Cimmerius Bosphorus) I 7. [poet. Caes. Liv. Quint. aliique.].
concipi: conceptus i. e. ortus (sc. amnis) III 68, 69, 97. [Curt. Col.]; (sed I 58, III 15, 83 pass. pos.).
coniungi i. e. cohaerere: coniungitur (mare paludi) I 6, II 104, coniungantur I 109. [Cic. alii.]
converti: convertitur (terra) II 47, III 12, conversus II 26, 85, III 16, 42, 98. [Cic. alii.]
decidi: decisa III 88: lacus est adeo infirmus ad sustinenda, quae incidunt, ut folia etiam proximis decisa frondibus non innatantia ferat i. e. folia, quae deciderunt. [1])
deflecti: deflectitur (ora) I 114, deflexus III 23. [Cic. alii.]
deici i. e. defluere: deiectus (Tanais) I 115. [Prop, Plin., Val. Fl.]
demergi i. e. occidere: demergitur (sol) I 3, (luna) III 2, [hoc verb. M. solus sic usurpasse videtur.]
„ i. e. defluere: demersus (sc. amnis) I 74.
demitti i. e. desidere et defluere: demittitur (specus) I 72, demissus 72, (Scamander) 93, sim. II 80, III 5, 40. [poet., Curt. Justin.)] (sed I 76 pass. pos.)
deprimi i. e. desidere: depressus (fons) II 117, (specus) III 2. [Cic. alii.]
devolvi i. e. defluere: devolvitur (Araxes) III 40. [Liv. Curt. Cels.]
diffundi i. e. diffluere: diffunditur (mare) I 7, 50, III 38, diffusus I 6, 113, II 67, 73, III 31, 77. [Cic. alii.]
discuti i. e. diffluere: discussus (fluctus) II 63. [Cic. caligo discussa.]
